ſtrat Parexa *de univerſa inſtrum. edit. 1. tom. tit. 2. reſol. 6. n. 34.* Fundat quippe Rex juriſdictionem ſuam in omnes ſæculares ſui Regni, *l. 1. de origine juris, l. 1. 2. & 3. tit. 1. l. 4. compil.* ubi Azevedo. Didacus Perez *in l. 2. tit. 1. l. 3. ordinem*. Villadiego *in l. 2. prologi fori judic. ex n. 2.* Aviles *in c. 1. Pretor.* Avendano *de exequendis, 1. p. c. 1.* Covarr. *pract. 1. n. 9.* Solorzanus *t. 2. l. 4. c. 3. n. 30.* Parexa *d. tit. 2. reſol. 6. n. 37.* Franciſcus Anſaldus *de juriſd. 2. p. tit. 11. c. 5. ex n. 137.* Marius Cutellus *ad leges Martini, tit. de juriſd. Inquiſit. compet. prout Epiſcopis, n. 16. & 17. pag. mihi 352.*

10 Privilegio, aut præſcriptioni ſimilis apud nos eſt deciſio Aulæ, quam dicimus Competentiarum; quia ſchedula Regia, qua tribunal illud erectum fuit anno 1625. c. 8. ſancitum fuit, ut quidquid hac in re fuerit deciſum, in omnibus ſimilibus caſibus jus faciat, cujus verba (nam ſchedulam ipſam non vidi) refert Parexa *d. reſol. 6. n. 313.* & commemorat Cutellus *ubi proxime, n. 6. pag. 344.* Quamvis alioquin exemplis judicandum non ſit, neque inſpiciendum quid Romæ factum ſit, ſed quid fieri debeat, *l. licet 8. de officio Præſid. l. nemo, C. de ſentent. & interloqut.* quam parœmiam illuſtrat D. Valenz. *conſil. 69. n. 212.* Valet ergo potius contrarium illud axioma: Sic inveni Senatum cenſuiſſe, *l. filius 14. in fine princip. ff. ad leg. Corn. de falſis*. Cum enim illi Senatores ampliſſimi ſpecialiſſime vice Regia componant Tribunalia de juriſdictione contendentia, quidquid cognoſcentes decernunt, legem eſſe conſtat, *l. 1. de conſtit. Princip. §. ſed quod Principi, Inſtit. de jure naturali, gent. & civili, l. ult. C. de legibus*. Sed ut hoc libentiſſime fatemur, ita & negamus aſſenſum judicis ſæcularis, vel totius aulæ criminalium quæſtionum ullum præjudicium afferre poſſe Regio Fiſcali, aut juriſdictioni, cujus adminiſtrationem, non diſſipationem gerunt, ut ad rem docent Boerius *in addit. ad Joannem de Montaigne de auctorit. magni Concilii, n. 148.* Menochius *conſil. 902. ex nu. 79. uſque ad fin.* Valenzuela *conſil. ult. n. 91. cum ſeqq.* & fatetur Paremus *reſponſo 2.* apud Cutellum, *pag. 374. n. 27.* & multi alii penes ipſos.

11 De privilegio juſte conceſſo, ideſt ab habente poteſtatem, ut de Summo Pontifice dicamus quod ex jure, & Theologia eſt, ea quæ Catholicum Eccleſiæ Romanæ filium decet modeſtia, diſtinguendæ ſunt terræ in temporalibus Eccleſiæ ſubjectæ, ab his quæ tantum ſubjectæ ſunt in ſpiritualibus, ut *in c. per venerabilem 13. qui filii ſint legit.* In illis cum utraque gaudeat poteſtate, poterit quos voluerit a ſæculari poteſtate eximere, & eccleſiaſticæ ſubjicere, ut pro explicatione textus *in c. 2. de foro compet.* notavit Morla *in emporio, tit. 2. in præludiis, n. 140.* Carolus de Graſſis eum ſecutus *de effectibus clericat. effectu 1. n. 131. verſic. Sed Petrus*. In his vero ipſe Innocentius III. fatetur *in c. novit 13. de judiciis*, non eſſe ſuæ intentionis vel in minimo derogare Regiæ poteſtati, aut juriſdictioni, D. Bernardus *l. 1. de conſiderat. ad Eugenium, c. 6.* *Ergo*, inquit, *in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claves Regni Cælorum, prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores.* Div. Thomas *de regim. Princip. lib. 1. c. 10. & 19.* Unde ex pura gratia, & ex ratione mere politica non poteſt Summus Pontifex laicos a ſæculari juriſdictione eximere, ut laici ſunt, & eccleſiaſticæ ſubjicere: alioquin diceremus abſurdum, quod poſſet Pontifex ſpoliare Reges ſubditis, & eos ſuæ addicere juriſdictioni. Ita ſentiunt eximius Pater Franciſcus Suarez *adverſus Regem Angliæ l. 3. c. 5. n. 8.* Magiſter Baſil. Pontius *de matrim. l. 5. c. 12. §. unic. per tot.* cum aliis Barb. *voto 55. n. 10.* Cutel *ad leges Sicul. Mart. tit. de juriſd. Inquiſit. competent. ex regia conceſſione*. Senſeratque pridem Innoc. *in c. 2. de major. & obed.* & poſt eum Greg. *in l. 1. tit. 7. partit. 1. gloſſ. ult.* Ceval. *de cognit. per viam viol. q. 52. ex n. 12. uſque ad fin.* Bodad. *l. 2. polit. c. 18. n. 214.* & alii.

Dixi, non poſſe eximere laicos ex ratione mere politica, & ut laici ſunt; quod duplex aſſertum ſignanter, & ſigillatim exponendum eſt. Quia ex ratione ſpirituali, prout ad ſpiritualia concernit, negari non debet poteſtas hæc Summo Pontifici; hoc enim valet indirecta poteſtas ſuper temporalibus, quæ eſt conſequens directæ ſuper ſpiritualibus; quia ut arguit Angelicus Præceptor *2. 2. q. 40. art. 2. ad 3.* cui conceſſus eſt finis, conceſſa pariter intelliguntur quæ ad finem tendunt directe, *juncta l. 2. de juriſd.* idem D. Thomas *d. l. 1. de regim. Princip. c. 19.* *In quo caſu*, inquit, *ut ex verbis Domini ſupra inductis eſt manifeſtum, videlicet pro bono ſtatu univerſalis Eccleſiæ videtur vicarius Chriſti habere plenitudinem poteſtatis.* Quoties ergo Pontifex non poteſt aſſequi finem ſibi intentum boni ſpiritualis, abſque eo quod manum extendat ad temporalia, recte illa poteſt ordinare, & ſibi ſubordinare, juxta effatum divinum *Jeremiæ, c. 1. Poſui te ſuper gentes, & ſuper Regna, ut evellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes.* Quod ſæpe, & cum bonorum laude feciſſe manifeſtum eſt *ex c. alius 15. q. 1. c. novit 13 de judiciis, c. intellecto 29. de jurejurando, c. licet univerſis, de voto, c. grandi, de ſupplend. neglig. Prælat. in 6. extravag. unam ſanctam, de major.* & aliis multis exemplis, quæ ſedulo & erudite adducit Magnus Præceptor meus D. Ramos *de Epiſc. Luſit. propoſ. 4. a principio.* Ideo hanc opinionem nedum communem, ſed catholicam appellare poſſumus, quam defendunt Bellarm. *de R. Pontif. toto l. 5.* Suarez *adverſus Reg. Angliæ, l. 3. c. 22. & 23.* Molina *de juſtitia & jure, tr. 1. diſp. 29.* Baſil. *d. l. 5. c. 12. n. 10.* latiſſime Solorzanus *tom 1. l. 2. c. 22. & duobus ſeqq.* & Carenas *de offic. Inquiſit. p. 1. tit. 5. de Summo Pontif. §. 5. de poteſt. Summi Pontif. in temporal.* Anſaldus *de juriſd. 2. p. tit. 11. c. 5. ex n. 145.* Saicedo *de lege polit. l. 1. c. 6. ex n. 9.* Et licet Joannes Major, Okam, & alii veteres Galli, uterque Barclajus, & Regerus Vvidrinctonus, apologias contra hanc poteſtatem cuderint, eas parum curamus, ut alibi ex profeſſo dicemus.

12 Ex quo Auctores noſtri diſputant, utrum Summus Pontifex eximere potuerit a juriſdictione ſæculari officiales, notorios, familiares, & miniſtros ſancti Officii, qui ex munere illi incumbunt, & præſto ſunt ad obſequendum ejus mandatis in rebus fidei? Habemus canonem Concilii Viennenſis *in Clem. 2. §. ult. de hæret.* quo duo ſanciuntur, aut ſupponuntur: nempe officiales in officio delinquentes, ab Inquiſitoribus eſſe puniendos; item ne habeant officiales ad executionem ſuorum mandatorum, niſi neceſſarios, qui ſe conferant ad ſua cum Inquiſitoribus ipſis officia exequenda; & bullam Joannis XXII. quæ jubet omnem exceſſum amputari hac in re. Quæ quidem conſtitutiones aperte enuntiant, hac de re proviſionem, utpote adeo ſpiritualem, ad curam Sanctæ Sedis ſpectare: ergo ſi ſibi bene viſum ſit, poterit de perſonis, foroque familiarium miniſtrorum decernere, etiam per modum gratificationis, & privilegii, ut magis videatur remunerare: eſſe quippe dignos favoribus, & privilegiis, qui rebus fidei incumbunt & ejus tutelæ præſto ſunt, quilibet per ſe perſpicere poteſt, notavitque Jacobus Simancas *de Catholicis inſtit. c. 41. n. 13.* pertinere quippe videntur ad defenſionem fidei, non tantum Inquiſitores, ſed miniſtri, per quos officium peragunt, & ſine quibus nullo modo illud exequi poſſent, *c. ut officium, de hæret. in 6.* Ex quibus potuiſſe Summos Pontifices eximere miniſtros a ſæculari juriſdictione, poſt Eimericum, & Paramum notavit Narbona *in concord. familiar. gloſſa 1. ex n. 3.* D. Solorzanus *tom. 2. l. 3. c. 24. ex n. 59.* Carenas *d. 1. p. tit. 15. §. 5.* Carleval *1. tit. de jud. diſ. 2. q. 6. ſect. 6. a princ.* Villadiego *c. 5. § 20. ſuæ polit.* Hevia *in curia, 3. p. §. 1. n. 15.* noviſſime Thomas Delbene *de officio Inquiſit. tom. 2. dub. 195. ſect. 16.* Maxime conſentientibus Principibus ſæcularibus, de quorum juriſdictionis præjudicio tractatur: quo in ſenſu & ipſi Principes conceſſiſſe juriſdictionem cenſentur, argumento *ex l. conficiuntur 8. §. 1 ff. de jure codicillor.* ex quo probatur, dare cenſeri, qui cum poſſet adimere, non adimit: & ex conſtitutione *tanta, de veteri jure enucleando, c. ult. de confirm. utili, vel inutili*: qui textus probant noſtra reputari, quibus noſtram auctoritatem impartimur, ut conſideravit ad rem Marius Cutellus *ad leges Siculas, in legib. Martini, pag. 370. n. 23.* Alii vero cenſent, forum hoc privilegium ſancti Officii familiaribus indultum eſſe ex mera Principum ſæcularium conceſſione, cum negent eos ad negotium fidei pertinere, niſi per quamdam analogiam, & abuſive: ideo in Hetruria eos illo non gaudere ex defectu Principalis indulti, docet Anſaldus *d. 2. p. tit. 11. c. 6.* quod etiam mordicus defendit Baſilius *d. l. 5. c. 12. ex n. 12.* Ex qua differentia & aliæ fluunt; nam Paramus negavit, potuiſſe Principem limitare, & ad caſus reſtringere hanc juriſdictionem; in quem ſe invexit Baſilius: quaſi Princeps jure, meritoque coercere potuerit juriſdictionem, quam ipſe indulſerit. Cui doctrinæ conſequens eſt alia, quam contra Narbonam defendit Parexa *d. tit. 2. reſol. 6. ex n. 85. uſque ad 93.* familiares nempe in caſibus exceptis in concordia, non exi propter delictum foro Inquiſitorum, ſed potius relinqui in proprio ſuo, & nativo, quod eſt ſæculare, ex quo in illis caſibus deficit privilegium. Ego neque audebo dicere conceſſionem hanc mere laicam eſſe: cum cernam familiarium officium e re fidei eſſe, nec minimum inſtrumentum cenſeri ſanctiſſimi Tribunalis ad pleraque munia, quæ neceſſario quotidie obeant contra apoſtatas & alios fidei hoſtes: nec per conſequens damnabo concordiam ſapientiſſime a noſtris Regibus excogitatam ſuis Regnis. Dicam tamen locum fuiſſe concordato ex mente Pontificum, & ex Regnorum utilitatibus. Cum enim exceſſivus eſſet familiarium numerus, oportuit ordinatione aliqua præfiniri, quod pridem conſuluerat Simancas *d. c. 41. n. 13.* Deinde cum homines ſpe impunitatis, & remiſſioris pœnæ fiant audaces ad graviſſima perpetranda delicta, congruit, ut quædam exciperentur, in quibus miti, & privilegiario foro non gauderent, ne ſub prætextu conceſſi privilegii, vel flagitiorum creſcat auctoritas, vel publica vacillet utilitas, ut dicitur *in l. 2. C. de privil. ſcholarium, l. 12.* omnis enim abuſus hac in re contra intentionem Summi Pontificis, & Principis eſt. Notat ad rem Salcedus *a Bernard. Diaz, c. 150. a n. 23. pag. mihi 508.* Carenas *d. 1. p. tit. 15. §. 4.* Marius Cutellus *ad leges Martini, pag. 346. n. 19. & 20.* Quod longiuſcule notaſſe non nocet. Obſervanda enim ſunt in quibuſcumque Regnis concordata. In noſtro habemus legem 18. *tit. 1. l. 4. noviſſime compilationis*, quam per viginti & tria gloſſemata illuſtravit Narbona. Indiani ſua habent concordiæ ſchedulam, quam ad litteram refert, & illuſtrat D. Solorzanus *tom. 2. l. 3. c. 24.* in qua concubinatus crimen exceptum intelligitur, quod in noſtra expreſſum non eſt. De aliis Regnis conſuli poſſunt Marius Cutellus *ad leges Martini, in Codice legum Sicularum, ſub tit. de juriſd. Inquiſit. in ſæculares*, Gratianus *diſcept. 340.* Carleval *d. to. 1. diſp. 2. q. 6. ſect. 9.* Marius Giurba *conſil. 96. ex n. 27. & ſeqq.* Cancer. *2. p. c. 2. de juriſd. ex n. 33.* Anſaldus *de juriſd. 2. p. tit. 11. c. 6.* Fermoſinus *in c. cum contingat 13. de foro comp. q. 11.* & alii innumeri penes ipſos, in quibus recenſendis non immoror.

13 Notabo tamen alios caſus exceptos in concordia non comprehenſos, in quibus foro Inquiſitionis non gaudent ex novis legibus. Primo *ex leg. ult. tit. 1. lib. 1. noviſſime compil.* vane jurantes a quocumque ſæculari judice puniri poſſunt. Et *in l. 61. tit. 18. l. 6. ejuſdem compil.* non gaudent foro privilegiario in crimine extrahendi monetam argenteam a Regno, & introducendi æream. Et *in l. 17. tit. 23. l. 8. compil.* nudantur etiam eodem foro, qui geſtant breves igneas machinas, quas *epiſtolas, carrabinas*, & aliis nominibus vocamus. De crimine concubinatus dubito, cum quodlibet concordatum intra ſuas metas, regioneſque contineri debeat.

De

14 De familiaribus itaque Inquiſitorum, ideſt de eorum famulis commenſalibus amplius diſquirendum eſt, quia de his in noſtra concordia, prout hodie extat compilata, nec verbum quidem, aut vocula invenitur. Narbona *gloſſa 1. & 22. a princ.* ſummo niſu contendit, gaudere foro veros Inquiſitorum commenſales. Verum quia Narbona *d. gloſſ. 22. n. 5.* & Fermoſinus *n. 2.* quædam verba pro diſertis expendunt diplomatis invictiſſimi Caroli V. ad Cancellariam Granatenſem emiſſi anno 1518. e re me facturum exiſtimo, ſi omnia præcedentia diplomata uſque ad concordiam in medium protulero, & brevi, planoque ſenſu donavero, quæ extant *l. 1. tit. 1. fol. 31. ordinationum Pintianæ Cancell.* in cujus folii reverſo ita ſtatuitur,
„ Y en quanto a las cauſas y negotios de los familiares de la
„ Inquiſicion, y en todo lo tocante à ello, ſe ha de tener,
„ è guardar la orden, è forma que eſta dada por las cedu-
„ las, y proviſiones Reales, que ſobre ello fueron provei-
„ das, cuyo tenor ſe pone aqui por la orden y tiempo que
„ ſe libraron; è ſon las ſiguientes, &c.

15 Omiſſa, quæ primo occurrit, data Burgis 17. Martii anno 1508. quæ ad inſtitutum non ſpectat, memoranda eſt prædicta Caroli V. ſchedula data Cæſarauguſtæ 15. Julii, anno 1508. ad Cancellariam Granatenſem, & Correctorem Giennenſem, in qua declaratur gaudere foro Inquiſitionis, “ Los officia-
„ les, y miniſtros de el ſancto Officio de la Inquiſicion de
„ la Cuidad de Jaen, y ſu diſtrito, è ſus criados, è fami-
„ liares, è los criados, è familiares de los Inquiſitores. *Et*
„ *quia perturbabantur in exercitio prædictæ juriſdictionis*. Loqual
„ diz que es contra los privilegios, è exenciones, y immu-
„ nidades del dico ſancto Officio, è redunda em impedimen-
„ to de el; *ſtatuit*, Que de alli adelante en las dichas cau-
„ ſas criminales, que tocaren à los ſuſodicos officiales, y fa-
„ miliares, è à qualeſquiera de ellos, „ ne immiſceantur, ſed ad Inquiſitores remittant. In hoc reſcripto primo notandum eſt, ad unum Correctorem remitti, & ad Aulam criminalium quæſtionum Cancellariæ Granatenſis; non tamen ideo minus generale cenſendum eſt, quia datum ad unum Præſidem, ad omnes datum cenſetur, ex theorica textus *in l. relegatorum 7. §. interdicere*, ubi magiſtraliter Bartol. *de interdictis, & relegat.* Eſt quoque illud notandum, reſcripta ex mente Principis robur, valoremque obtinere, & contra, aut præter ejus voluntatem emiſſa, viribus evacuari, *l. ult. C. de precibus Imperat. offerend. l. univerſa 7. C. de diverſis reſcriptis, l. 2. C. de petit. ſublat. lib. 10. c. ſuper litteris, de reſcriptis, cum ſimilibus*. Conſtat vero ex illis verbis, *Lo qual diz que es contra los privilegios*, Carolum non ex proprio motu conceſſiſſe qui novi, ſed ſolum confirmare, & roborare voluiſſe quod audiebat jam conceſſum, vel ſibi referebatur, *c. in parte, el primiero, de reſcriptis*, Marta *de clauſulis, 2. p. clauſ. 71.* Menochius *conſil. 103. n. 22.* Maſchardus *concluſ. 1210.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 9. in annotat. num. 229.* Azevedo *in l. 4. n. 2. & 3. tit. 26. lib. 8. compil.* illa enim verba, *diz que*, correſpondent clauſulæ, *prout aſſeris*, ſive, *prout aſſeritur*, quæ ſupponit certitudinem in narratione a parte facta, ad cujus inſtantiam impetratur reſcriptum. Barboſa *clauſula 116.* & *clauſula ult.* quod ad ſequentia notandum eſt.

16 Schedula, quæ ſequitur, eſt ſecunda juſſio Monſonii Aragonum, 9. Octobris 1542. emiſſa ad utramque Cancellariam in confirmationem prioris: in qua ita: “ Vereis, complireis,
„ y guardareis la dica cedulla, e guardandola, e complien-
„ dola, no vos entrometais de aqui adelante en conocer de
„ las cauſas criminales, que tocaren a los officiales, e fami-
„ liares de las Inquiſiciones de nueſtros Roynos. „ Non loquitur ſecunda juſſio de familiaribus Inquiſitorum, in quo a præcedenti diſtat: quod Regia juriſdictione facit; nam ex duabus juſſionibus pari poteſtate pollentibus noviſſime cautio attenditur, *l. non eſt novum 26. cum duabus ſeqq. de legibus, l. quod traditum 87. cum ſeq. l. non ad ea 89. de condit. & demonſtr.* quæ in caſu occurrenti fortiter expendi poteſt. Pro ſe dicunt Inquiſitores, ſecundam juſſionem præcipere, ut videatur, & obſervetur prima: ergo non intendit in aliquo derogare ejus obſervantiæ, aut cautioni, *c. dilecta 4. de confirm. utili, vel inutili*; cum ſit, inſitque relatum in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, ut habet axioma 201. Barboſæ.

17 Succedit ſchedula data in hac civitate Valliſoletana 15. Maii 1545. per quam ambæ ſchedulæ præcedentes ſuſpenſæ fuerunt, tanquam per errorem, & contra formam emiſſæ: igitur deinceps allegari non poſſent, niſi ad uſum redactæ ſint noviori conſtitutione; quia quod ſuſpenſum eſt, valore evacuatur, *l. in damnum 169. §. 1. ff. de regulis juris, cap. dilecta 8. de confirmat. utili, vel inutili*. Unde Narbona, & Fermoſinus ad hanc quæſtionem decidendam afferentes verba ſchedulæ Cæſarauguſtanæ, nihil attulerunt, niſi probaverint, jus illud de familiaribus Inquiſitorum ſopitum, ſuſpenſumque per hanc ſchedulam, ſuſcitatum fuiſſe per concordiam.

18 A qua ſuſpenſione cum Inquiſitores ſupplicaſſent, cum ſancto Tribunali concordia ſumpta fuit, & diplomate Regio confirmata *in l. 18. alias 20. tit. 1. l. 4. comp.* per quam cauſarum criminalium cognitio contra familiares, & alios miniſtros Inquiſitionis commiſſa fuit Inquiſitoribus, præſtituto gaudentium numero, exceptis atrocioribus, quæ ibi recenſentur: & civilium reſervata fuit ſæcularibus judicibus, de qua amplius dicere ſuperſedeo, cum exacte illuſtrata ſit a Narbona. Fuit data Matriti 10. Martii 1553. in qua ad præſentem quæſtionem hæc verba notanda ſunt: “ Alzando, e quitando
„ quanto a lo no expreſſado, è conſentido en eſte dicho aſ-
„ ſiento, è capitulos, el effecto de todas las dicas cedulas
„ en lo tocante à las cauſas, è negotios de los familiares.
„ *Ecce præcedentium ſchedularum expreſſam derogationem*: E que-
„ dando en todo lo demas en ſu fuerza, è vigor. „ Ecce confirmationem. Nunc inquiſitores ſic arguunt. Concordia loquitur tantum de familiaribus Inquiſitionis, quorum reſpectu ſumitur: ergo nihil diſponit de familiaribus Inquiſitorum, *l. ſi de certa 28. C. de tranſact.* cum ſimilibus, atqui in ſchedula Cæſarauguſtana expreſſe forum privilegiarium his conceſſum fuit, nec ulla alia expreſſe ademptum invenitur, imo potius generali confirmatione in concordia comprehenſum: igitur indiſtincte gaudere debent foro, ut gaudent officiales. Per contrarium Fiſcalis Regius ſic tuetur ſuam, imo regiam juriſdictionem. Si hoc argumentum probat, multum probat, cum probet indiſtincte, & ſine caſuum limitatione familiares Inquiſitorum eo foro gaudere inſtar notariorum, & officialium ſecreti, pluſquam familiares, & notarios Inquiſitionis ipſius, quibus forum limitatum eſt: ſed abſurdum eſt, plus favoris indultum eſſe familiaribus Inquiſitorum, quam Inquiſitionis ipſius: ergo ideo in concordia de ipſis actum non eſt, quia nec de illis cogitatum fuit inter concordantes. Deinde negari non poteſt eſſe ambuiguitatem in reſcriptis; nam ſchedulæ Cæſarauguſtanæ de famulis Inquiſitorum loquuntur: ſchedula vero Monſonii tantum loquitur expreſſe de familiaribus Inquiſitionis. Utraque ſuſpenſa fuit per Valliſoletanam, & ſuper hoc concordia ſumpta fuit, remanentibus in ſuo robore *las dichas cedulas*, in quibus verbis ambiguitas eſt, ut quilibet agnoſcere poterit: ſed quoties ambiguitas in reſcriptis reperitur, poſteriori ſtandum eſt, *cap. ult. de reſcript.* quod ad rem pertinet, quod ibi notat Panormitanus poſt Bartol. *in l. ſed poſteriores, ff. de legibus*, ubi A. Faber: alios adducit Menochius *l. 3. conſil. 227. n. 266.* qui optime loquitur. Addendus eſt Donellus *l. 1. comment. c. 12.* ergo cum poſterius de familiaribus Inquiſitionis loquatur, ad illud facienda eſt prædicta relatio, maxime quia ut certum agnoſcamus, illa verba: *Quedando en lo demas en ſu fuerza, y vigor*, referunt ad id, quod proximius eſt, ſcilicet ut in caſibus non exceptis circa familiares, ſervetur quod pridem circa forum ſtatutum erat, ut ſpectent ad forum Inquiſitionis. De famulis vero Inquiſitorum, nec quæſtio incidebat, nec fiebat concordia, nec ſuper hac re invenitur Tribunalium querimonia: ergo relatio facienda eſt ad proxime dicta; & ad propoſitam quæſtionem intra ſuos terminos, non ad diverſos. Ex quibus inſtantiis deducitur, attenta concordia, rem dubiam eſſe. Sed videamus, quatenus praxis, uſuſque dubium ſuſtulerit. Et pro ſententia, quam tuemur, facit ſchedula prudentiſſimi Philippi II. miſſa Proregi Valentiæ die 19. Martii anno 1562. in qua cum familiares cujuſdam Inquiſitoris a Prorege carceri mancipatos juſſiſſet ad Tribunal Inquiſitionis remitti, hæc adjecit verba: “ Y ſus criados hizie-
„ ren alguna coſa, que os parezcano conviene al ſervicio de
„ Dios, y mio, vos con el cuidado que ſoleis, me dareis
„ aviſo de ello, para que yo lo mande proveer. „ Eam refert Dionyſius Portocarrero *in competentia Majoricenſi, n. 57.* Tandem hæc ſententia expreſſa eſt in concordia Sicula facta anno 1597. ubi *§. 16.* ita cavetur: “ Los criados de los In-
„ quiſitores y officiales de la Inquiſicion, que fueren continuos
„ commenſales, y que actualmente los ſirvieren, llevando ſu
„ ſalario y racion, gozen del privilegio del ſancto Officio. „ In cujus concordiæ confirmationem ſæpius declaratum fuiſſe in aula Competentiarum, videlicet familiares Inquiſitorum, & officialium in Regno Siciliæ gaudere privilegio ſuorum dominorum, refert Baſilic. *deciſ. 17. crimin. per totam*, & ipſa in Aula deciſa fuit quædam cauſa hujus Pinciani Tribunalis anno 1649. nam cum Antonius Fernandez familiaris Receptoris ipſius Tribunalis pro homicidio in ipſa urbe perpetrato carceri fuiſſet mancipatus per Prætorem ipſius civitatis, cauſa remiſſa fuit Inquiſitoribus ipſius Tribunalis: unde juxta ſchedulam Regiam ſupra expenſam, & a Parexa adductam, quæſtio hæc videtur deciſa, ita ut amplius in dubium revocari nequeat.

19 Sententiam hanc, quam tuemur, probant & defendunt, aliis relatis, Narbona *in d. concordia, gloſſa 1. & 22. a principio*, Epiſcopus Fermoſinus *in c. cum contingat, q. 11. de foro compet.* Cutellus *in d. §. 16. concordiæ Siciliæ*, Baſilico *d. q. 17. crimin. per totam*, perdoctus vir D. Chriſtophorus de Moſcoſo, & Cordova *in juris allegat.* quam typis mandavit, cum munus Fiſcalis ſupremi Conſilii gereret, contra quoſdam familiares Cardinalis Moſcoſo. Contrariam autem ſententiam tuetur Anſaldus *de juriſdict. d. cap. 6.* ſed levi motus fundamento; ait enim, æquum non eſſe, ut delictorum punitio proprio domino committatur, contra deciſionem textus *in l. qui juriſdictioni 10. ff. de juriſd.* nam agnoſco hoc argumentum militare in Epiſcopos volentes jus dicere in ſuos familiares; non vero in Inquiſitores, cum tres, quatuorve reperiantur in Tribunali uno, in quo cauſa agitari poteſt, excluſo delinquentis domino per alios, ut conſideravit Narbona *in concord. gloſſ. 1. ex num. 65.* maxime *n. 71.* Nec majoris ponderis eſt, familiares Equitum Ordinum militarium fori dominorum privilegio non gaudere, ut cavetur in ordinationibus Valliſolet. *lib. 1. tit. 1. fol. 7.* & circa familiares ſcholaſticorum expreſſe cautum eſt *in lib. 18. §. 7. tit. 7. lib. 1. recopil.* & notavit Eſcobar *de Pontif. juriſd. c. 37.* nam diſcriminis magna ratio verſatur inter familiares Inquiſitorum, ac Officialium; & familiares Equitum, ac Scholarium: tum a ſanctitate miniſterii petita, tum a Regiis ſchedulis ſupra relatis, quibus hæc exemptio a juriſdictione ſæculari conceſſa eſt; quæ cum non detur circa alios familiares Equitum & Scholarium; non valet argumentum de aliis ad alios.

BIBLIOTECA CENTRAL

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Toletano.

UT *b* Archipresbyter ſciat ſe ſubeſſe *c* Archidiacono, & ejus præceptis omnibus, vel præceptionibus, ſicut Epiſcopi ſui, obedire debet, & quod ſpecialiter ad ejus miniſterium pertinet, ſuper omnes Presbyteros in ordine poſitos *d* curam agere, & aſſidue in Eccleſia ſtare: & quando Epiſcopi ſui abſentia eſſe contigerit, ipſe ad vicem ejus *e* Miſſarum ſolemnia celebret, & collectam dicat, aut cui ipſe injunxerit.

NOTÆ.

1 a *Toletano.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* & in decreto Ivonis *p. 6. c. 20.* & Burchardi *l. 3. c. 50.* & hæc verba Concilio Toletano tribuuntur *in c. ad hæc 7. de officio Archidiaconi*: a Gratiano tamen *in c. perlectis, verſ. Ut Archipresbyter*, tranſcribuntur ex epiſtola D. Iſidori miſſa ad Leufridum Epiſcopum. Sed in nullo ex Conciliis Toletanis nuper excuſis, & hucuſque editis reperiuntur hæc verba. Et licet textus *in d. c. perlectis*, reperiatur in ea epiſtola D. Iſidori, tamen hæc verba a Gratiano relata non inveniuntur. Et D. Garcia a Loayſa, qui hujus inclyti Doctoris opera ex variis MSS. codicibus edidit, in notis ad ipſam epiſtolam obſervat, hæc verba non reperiri in antiquis codicibus. Et non eſſe ipſius Doctoris, probatur ex eo; nam poſtquam S. Doctor omnium ordinum officia, & miniſteria recenſuit, hæc ſubjunxit verba: *Hi ſunt ordines & miniſteria Clericorum, quæ tamen auctoritate Pontificali in Archidiaconi cura, ac theſauri ſolicitudine dividuntur.* Unde inordinate procederet Sanctus; ſi poſt hæc verba de officio Archipresbyteri ageret; quare exiſtimo in hoc textu proponi canonem alicujus Concilii Toletani nondum editi, aut cujus acta injuria temporum perierunt, & ex eo hæc verba irrepſiſſe inter opera D. Iſidori; quod etiam notavit Hallierius *de hierarch. juriſd. l. 4. art. 3.*

2 b *Archipresbyter.*) Sicut Princeps Epiſcoporum dicitur Archiepiſcopus; & Diaconorum Archidiaconus; ita primus, & princeps Presbyterorum appellatur Archipresbyter, ideſt, qui præeſt aliis Presbyteris. Licet enim ubi plebs numeroſa non erat, olim unus Presbyter tantum præponeretur, qui vulgo parochus dicebatur; tamen ubi plebs numeroſa erat, tunc plures Presbyteri præponebantur, & qui illis præerat, Archipresbyter dicebatur. Concilium Epaunenſe *can.* 80. Agatenſe *can.* 54. Et quia plerumque decem Presbyteris præponebatur, Decanus dicebatur, *c. in capite, 50. diſt. c. 7. de officio Arcidiac.* Juſtinianus eum appellat primum Presbyterum *in l. repetita 41. C. de Epiſc. & cleric.* principalem Presbyterum *in novella* 123. Presbyteri iſti, qui ſucceſſerunt in locum Chorepiſcoporum, ut docet Cironius in præſenti, debent eſſe presbyterali gradu decorati, *c. 2. diſt. 60. c. 1. de ætat. & qualit.* & ſunt vicarii Epiſcoporum: unde in qualibet Eccleſia Cathedrali debet eſſe unus Archipresbyter. Concil. Emerit. *can.* 10 *Statuimus, ut ſinguli noſtrum in Cathedralibus Eccleſiis Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium habere debeamus.* Ultra ea munera, quæ in hoc titulo Archipresbyteris commendantur, aliam etiam ſpectant ad ipſos, vel jure ordinario, vel ratione conſuetudinis. Jure ordinario, ut ſimul cum Archidiacono bona Eccleſiæ adminiſtrare. Concil. Brachar. *can.* 25. *De qua parte, ſive Archipresbyter, ſive Archidiaconus illam adminiſtrans, Epiſcopo faciat rationem.* Pauperum etiam curam habere, *c. Epiſcopus 7. diſt.* 88. juriſdictionem non ſolum in clericos; verum interdum in ſæcalares exercere, *c. fin.* juncta inſcriptione *de conſtit. c. dilectis 55. de appellat. c. 2. ne Prælati vices ſuas.* Concil. Altiſſiod. *can.* 41. “ Si quis ex ſæcularibus inſtitutionem, aut commonitionem Archipresbyteri ſui contumacia faciente audire diſtulerit, tamdiu a limitibus ſanctæ Eccleſiæ habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere ſtuduerit: inſuper multam, quam glorioſiſſimus Rex Dominus præcepto ſuo inſtituit, ſuſtineat. „ Conſuetudine interdum ad Archipresbyteros ſpectat inſtitutio in capellis poſt præſentationem patroni, *c. ſuper eo 15. de officio deleg.* cognitio cauſarum matrimonialium, *c. ex litteris, de conſag. & affin.* licet hodie matrimoniis aſſiſtere non poſſint, ut defendit Baſilius Legion. *l. 5. de matrim. c. 12. n. 6.* Alia plura proſequuntur circa Archipresbyteros Barboſa *de dignit. c. 6. & l. 2. juris Eccleſ. c.* 25. Vighellius *in methodo juris can. pag.* 355. Azor. 2. *p. inſtit. l. 3. c.* 15. Petrus Greg. *l. 15. ſyntagm. c. 11. & l. 1. partit. tit. 22. c. 5.* Cujac. *in c. ex parte 8. de clericis non reſiden.* Manrique *de præcedentiis, q. 6.* Alteſſerra *l. 2. differt. c. 16.* Archipresbyterorum dignitas valde antiqua in Eccleſia eſt, ſiquidem ejus mentio fit in Concilio Carthag. 4. *can.* 17. “ Epiſcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum, non per ſeipſum, ſed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat. „ Ratio autem inſtituendi eos, ea fuit; nam aucto fidelium numero per urbes, agros, & vicos, neceſſe fuit ibi plures Presbyteros inſtituere; & licet primis temporibus, qui præerat omnibus his Presbyteris, tantum primus Presbyter diceretur, poſtea dictus fuit Archipresbyter, qui curam gerebat Presbyterorum urbicorum, ſeu ruſticorum, etſi in Eccleſia Orientali tantum primus Presbyter, vel proto presbyter appellaretur, ut probat Morinus *de ſacris ordinat. exercit. 16. c. 3.* Juriſdictio Archipresbyteri pro locorum, & temporum varietate varia fuit, modo præſcriptione aucta: modo reſtricta. Quæ fuerit antiquitus, conſtat ex hoc titulo, & ex Concilio Aquiſgran. 3. *can.* 4. Epaun. *can.* 8. “ Archipresbyter dum diœceſim tenet, de his, quæ emerit, aut Eccleſiæ nomine ſcripturam faciat, aut ab ejus, quam tenet, Eccleſiæ ordinatione diſcedat. *Concil. Altiſſiod.* can. 44. Si quis ex ſæcularibus inſtitutionem, aut commonitionem Archipresbyteri ſui, contumacia faciente, audire diſtulerit, tamdiu liminibus ſanctæ eccleſiæ habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere diſtulerit. „ Sic *c. 4. 24. diſt.*

3 c *Subeſſe Archidiacono.*) *Dicto c. perlectis, c. ad hæc verſ. Archipresbyteri, de off. Archidiac.* Sed hoc ſacris canonibus, & rationi contrarium eſſe, facile probatur ex Concil. Emerit. *can.* 10. in illis verbis: “ Communi deliberatione ſancimus, ut nos omnes Epiſcopi infra noſtram provinciam conſtituti in Cathedralibus noſtris Eccleſis, ſinguli noſtrum Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium habere debeamus. Sanctus quippe eſt ordo, & a nobis per omnia obſervandus, &c. „ *c. dictum, 94. diſt.* ubi prius enumerantur Archipresbyteri, quam Archidiaconi. Rationi etiam opponitur hæc ſententia; nam æquum eſt, ut major in ordine, potior ſit in dignitate, *c. ſtatuimus 15. de majorit. & obed.* unde Presbyteros Diaconis anteſtare, docetur *in c. legimus, c. dominus, 93. diſt.* & injuſtum, atque abſurdum eſt, inferiorem in ſuperiorem poſſe juriſdictionem exercere, *c. cum inferior, de maior. & obed.* Ut huic difficultati ſatisfaciant Duaren. *l. 1. de ſacris, c. 9.* Legaufre *in præſenti*, Cujacius *in d. c. ex parte*, affirmant Archidiaconum eſſe Archipresbytero majorem ratione juriſdictionis; ordinis vero ratione Archipresbyterum majorem eſſe, nec hoc abſurdum eſſe, cum diverſis reſpectibus poſſit quis eſſe inferior, & ſuperior alio, *l. 1. C. de off. vicarii*. Sed licet hæc communis diſtinctio vera ſit, & amplecti debeat pro expoſitione textus *in c. un. de off. Primicerii*; tamen placet nunc ſententia Hallierii *de hierar. juriſd. d. l. 4. art. 3. pag.* 585 qui exiſtimat; in Hiſpania conſuetudine fuiſſe introductum, ut Archidiaconi præeſſent Archipresbyteris, & ſic non proprio jure, ſed inter alia, quæ conſuetudine, aut audacia ſibi arripuerunt, & acquiſierunt, hanc etiam juriſdictionem ſupra Archibresbyteros uſurpaſſe: quæ ſententia facile ſuadetur, ſi obſervetur, textus noſtros, & *in d. c. ad hæc*, & etiam *in d. c. perlectis*, deductos eſſe ex Conciliis Hiſpaniæ noſtræ, ut etiam ſupra notavi.

4 d *Curam.*) Habet enim Archipresbyter curam animarum cum juriſdictione, *c. fin. c. officium, hoc tit. c. cum olim 13. de re judic.* unde reſcripta Apoſtolica ipſis dirigi poſſent, *c. eam te 7. cum ſequenti, de reſcriptis*: & in ipſa Eccleſia principali, urbana, ſeu rurali, poteſt matrimonio aſſiſtere, aut alii licentiam aſſiſtendi concedere; non tamen in aliis minoribus parochiis, ut alii Presbyteri ſacramenta adminiſtrent, ut docet Baſilius Legion. *l. 5. de matrim. c. 12. n. 7.*

5 e *Miſſarum ſolemnia.*) Miſſas publicas tantum Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis Eccleſiis celebrare poterant, ut probant Vicecomes *vol. 2. de ritibus Miſſæ, l. 3. cap. 2.* Claudius Eſpenceus *de Miſſa publica, & privata*, Boſquetus *ad Innocent. l. 2. ep. 18.* & illis abſentibus Archipresbyteris eas celebrabant, ut probavi *in c. 1. de clericis peregrinis, nu. ult.*

6 f *Collectam.*) Licet collecta cum de divinis officiis agitur, plerumque accipiatur pro ipſo divino officio, D. Hieronym. *in epitaphio Paulæ*, ibi: “ Quo ſigno vocabantur ad collectam, „ *ipſe in regula S. Pachomii*, art. 107. Sex orationes facient „ veſpertinas, juxta exemplum majoris collectæ: & art. 121. „ Si quis tulerit rem non ſuam, ponetur ſuper humeros ejus, „ & aget pœnitentiam publice in collecta; *notavit Menardus* „ ad D. Greg. pag. 42. *tamen in præſenti, & proprie ſignificat orationem, & quæ in fine cujuslibet horæ canonicæ dicitur.* „ *Concilium Agath.* can. 30. Quia convenit ordinem Eccleſiæ „ ab omnibus æqualiter cuſtodiri ſtudendum eſt, ſicut ubique fit, ut poſt antiphonas, collectiones per ordinem „ ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini, vel veſpertini decantentur diebus omnibus, & in „ concluſione matutinarum, vel veſpertinarum, & Miſſarum, poſt hymnos capitalia de pſalmis dicantur, & „ plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione mittatur. „ Concilium Carthag. 3. *can.* 23. Milevit. *can.* 12. talis enim oratio, ideo collecta dicebatur, quia in eam cuncta populi vota colligebantur. Docent & notant Landtmet. *lib. 2. de veteri clerico, cap.* 81. Haæpthen *l. 7. diſquiſit. monaſt. tract. 8. diſq. 4.* Durantius *in rationali l. 4. cap.* 15.

CA-

BIBLIOTECA CENTRAL

CAPUT II.

Leo *a* Papa.

MInisterium Archipresbyteri in eo conſtituitur, ut diligenti cura provideat miniſterium *b* Sacerdotum Cardinalium, qui per ſolemniſſimum debent agere officium in communicatione Corporis, & Sanguinis D. N. J. Chriſti, ita ut viciſſim eos ſibimet ſuccurrere faciat, quatenus a ſacroſancto die Dominico incipiendo, per omnes horas canonicas inclinabiliter perſeverent, ut opus Dei digne, & ſancte perficiatur ab eo, cui committitur. Verens ſententiam illius ſapientiſſimi, ubi dicitur: Maledictus homo, qui negligenter facit opera Dei. Provideat etiam Archipresbyter *d* vitam ſacerdotum Cardinalium, præceptis ſui obtemperando Epiſcopi, ne aliquando cedant, aut *e* ſcurrilitate torpeant: & reminiſcantur, quod labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. Si Epiſcopus defuerit, exceptis his, quæ prohibita ſunt, Archipresbyter provideat cuncta, quæ in ſacerdotum miniſterio perfici debeant, *f* fontes benedicere, *g* infirmos oleo perungere, pœnitentem infirmum *h* conſulto Epiſcopo reconciliare, *i* pœnitentiam cunctis aliis ſacerdotibus, quæ ad purgationem animarum pertinet, injungere, in præcipuis feſtivitatibus, aut ipſe celebrationem Miſſæ ſolemniter adimpleat, aut ad oris ſui juſſionem, cui committitur, veneranter peragat.

NOTÆ.

1 a *Leo Papa.*) Similiter legitur *in c. 2. ſub hoc tit. in 1. collect.* ſed ex nulla ex eis conſtat, cujus Pontificis hujus nominis ſit præſens deciſio: eam Anton. Aug. tribuit Leoni IX. in notis ad primam collectionem.

b *Sacerdotum Cardinalium.*) Cardinales in hoc textu non accipiuntur pro Cardinalibus eminentiſſimis urbis Romæ, de quibus plura adduxerunt Buſeus *de ſtatibus hominum, verbo Cardinales*, Ciaconius *in hiſt. Card.* Cohelius *in notit. Cardinalatus*, Serlogus *t. 3. in Cantica, pag.* 495. Lotherius *de re benef. l. 3. q. 27. n.* 50. Rouſſelius *l. 2. hiſtor. juriſd. Pontif.* Spondanus *in continuat. Baronii, ann.* 1440. *n.* 28. Chokier *in face hiſtor. c.* 89. Barboſa *l. 1. juris eccleſ. tit. de Cardin.* & nos *in c. 2. de clericis non reſid.* ſed pro ſacerdotibus principalioribus Eccleſiarum baptiſmalium, de quibus exaudiendi ſunt textus *in c. fraternitatem, 71. diſt. c. Præſul 2. q. 5. c. a ſubdiacono, 93. diſt. c. paſtoralis 7. q. 1. c. relatio 21. q. 1.* Volateranus *in Antropolog. l. 22. in vita Innocentii IV. pag.* 255. in illis verbis: “ Cardinalium nomen ab initio epitheti honoratioris appellatio fuit; nam „ alibi clericum Cardinalem, & canonicum Cardinalem legimus, ideſt præcipuum, & principalem. „ Docent Vvolfangus Lazius *l. 2. Reip. Rom. c.* 2. Petr. Greg. *l. 15. ſyntag. c. 4. n.* 1. Lælius Cechus *de Repub. Eccleſ. c.* 2. Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſput. 2. §. 1. n.* 9. unde obſervatur in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus, ut præcipui, principaleſque Canonici Cardinales appellentur, ut de Eccleſiis Ravennat. Mediolan. & Neapolit. ex Mandoſio, & aliis notavit Cohelius *ubi ſup. c.* 3. Apud nos etiam in celebri Eccleſia Compoſtellana ſunt dignitates, quæ appellantur Cardinalitiæ, ex conceſſione Paſchalis, temporibus Alphonſi VII. Caſtellæ Regis, & D. Didaci Gelmirez, cui conceſſit Pontifex, ut Cardinales ſeptem in Eccleſia ſuos Presbyteros, ſeu Diaconos tales conſtitueret, qui digne valerent commiſſa ſibi eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere, ut poſt alios referunt Ægidius Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ, c.* 9. Covar. *in theſauro, verbo Cardinal.* Nec ſolum in Eccleſiis urbicariis, verum etiam in ſuburbicariis, & ruralibus Presbyteri Cardinales conſtituebantur, ut ſacramenta adminiſtrarent. D. Gregorius *l. 1. regeſt. ep. 15. ad Balbinum Epiſcopum Roſellanum*, præcipit in Populonenſi Eccleſia unum Cardinalem Presbyterum conſtitui, & in parochiis præfatæ Eccleſiæ tres Presbyteros. Idem *l.* 11. *ep. 32. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum*, ſtatuit, ut Coſmas quidam in Eccleſia Syracuſana in qua ordinatur Subdiaconus, Presbyter Cardinalis conſtituatur. Meminit Presbyterorum Cardinalium in Conſtantinopolitana Eccleſia Nicolaus I. R. Pont. *in ep. ad Michaelem Imper. Bizant.* lecta in Synodo 8. ſeu 9. Conſtantinop. Hildebertus Cenoman. ſeu Turon. *in exceptionib.* notat Fileſacus *de origine Paræciarum, cap.* 3.

2 c *Die Dominico.*) Per ſingulos enim dies debebant Presbyteri adeſſe Epiſcopo miniſtranti. Clem. *l. 2. conſt. Apoſt. c.* 61. „ In ejus medio ſit Epiſcopi ſedes, ad cujus utrumque latus „ conſideant Presbyteri, & Diaconi aſſiſtant ſuccincti, & expediti. *Et Anacletus R. P.* ep. 1. In ſolemnioribus diebus, „ aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos, qui ejus oculi „ dicuntur, & ſubdiaconos, & reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis, in fronte, & a tergo, „ & Presbyteri e regione, dextra, lævaque contrito corde, „ & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent vultu. „ Notat Vicecomes *de ritibus Miſſæ, vol. 1. c.* 21.

3 d *Vitam ſacerdotum.*) Unde in Concilio Altiſſiodor. *can.* 20. ita cavetur: “ Quod ſi Presbyter (quod nefas eſt dicere) „ aut Diaconus, aut Subdiaconus poſt acceptam benedictionem infantes procreaverit, aut adulterium commiſerit, & „ Archipresbyter hoc Epiſcopo non intimaverit, integro anno non communicet.

e *Scurrilitate.*) Quæ non ſolum in clericis damnatur, *c. 1. de vita, & honeſt. cler. l. 6.* verum in omnibus laicis fidelibus, ut probat late Anonymus *in Machiavellum lib. 1. pag.* 59.

4 f *Fontes benedicere.*) Non ad aquam piacularem referas, quam nos vulgo benedictam appellamus, licet ejus benedictio propria ſacerdotis ſit & quolibet die Dominico fieri debeat, *c. aquam, de conſecr. diſt.* 2. late plura de aqua benedicta adducentes docent Marſilius *ſpeciali tractat. de aqua benedicta*, Sauſay *in Panopol. ſacerd. l. 2. c. 6. §.* 2. Hæc enim verba accipienda ſunt de benedictione fontis baptiſmalis, ſive aquæ in baptiſterio ad baptiſmum præparatæ: certum enim eſt, fontem baptiſmalem aqua plenum prius benedici a Presbytero, quam baptiſmus cum ea adminiſtretur, quod jam a primis Eccleſiæ temporibus obſervatum fuiſſe legimus apud D. Clementem Romanum *lib. 7. conſt. c.* 43. ibi. *Deinde venit ad aquam, benedicit, & glorificat Sacerdos Dominum Deum omnipotentem.* D. Cyprianum *ep.* 7. ad Januarium: *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Et tunc dicebatur fontem benedici. Paulinus Nolanus *ep. 12. ad Severam*, ibi:

Hic reparandarum generator fons animarum,
Vivum divino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cælo deſcendit Spiritus amnem,
Cæleſtique ſacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, ſanctamque liquoribus almis,
Edit ab æterno ſemine progeniem.

Hanc fontis benedictionem in baptiſmo ſolemni faciebat Epiſcopus. Vvolfangus Lanzius *de veteri Eccleſ. ritib.* ubi ait: „ His expletis procedit Pontifex ad fontes benedicendos cum „ omni Clero. *Victor Uticenſis* lib. 2. de perſecut. Vandal. *ibi*: „ Hic viſitatur a Domino, prædiciturque ei nocte per viſum, „ dies enim Epiphaniorum illuceſcebat. Surge, vade ad ſervum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei, quia ego „ te ad illum direxi, & illa hora, qua benedicit fontem, „ ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, „ & aperientur. „ Notavit Vicecomes *de ritibus Baptiſmi l. 1. c. 14. cum ſeqq.*

5 g *Infirmos oleo perungere.*) Ideſt Sacramentum Extremæ unctionis illis adminiſtrare, de quo aliqua prælibavi *in c. unico de ſacra unct.* illud tantum in præſenti notandum eſt, Sacerdotes hujus ſacramenti ordinarios miniſtros eſſe. D. Jacobus *ep.* 5. ubi de hoc Sacramento diſſerens ait: *Inducat Presbyteros.* Quæ verba reperiuntur *in c. illud, 95. diſt. c. un. de ſacra unct. c. queſivit, 14. de verb. ſignif.* Trident. *ſeſſ. 14. de hoc ſacramento, c. 3. & can. ult.* Concilium Cabilonenſe ſub Carolo *can.* 48. Faciunt textus *in c. Presbyteros, diſt. 95. c. Presbyteri 123. c. ab omni 124. de conſecr. diſt. 4. c. ab infirmis 27. qu. 1.* plura dabimus *in cap. 25. de V. S.* unde in hoc textu inter ea, quæ competunt Presbyteris, ut Presbyteris, enumeratur adminiſtratio unctionis infirmorum.

6 h *Conſulto Epiſcopo.*) In præſenti agit Leo, de eo, qui pœnitentiam ſolemnem in Eccleſia faciebat, circa cujus formam, & ritus, ultra obſervata *in c. 1. de bigamis non ord.* ſciendum eſt, reconciliationem eorum, qui ſolemni penitentiæ caput in Eccleſia ſubdiderunt, competere jure proprio Epiſcopis, & non aliis inferioribus Prælatis. Concilium Nicænum *can.* 13. *c. cum aliquis 108. q.* 3. Concil. Hiſpal. 2. *can.* 13. Meldenſe *can.* 41. Triburienſe *can.* 31. Carthag. 2. *can.* 3. plura Albaſpineus *l. 2. obſ. c. 32. & 33.* Cironius *ad tit. de pœn.* Mendoza *l. 2. Concil. Illiber. c.* 64. ubi & nos, Fileſacus *in c. inter 15. §. 6. de officio ordinarii*, Morinus *l. 2. exercit. c.* 7. Ambianas *ad Tertul. c. 18. obſerv.* 2. nec etiam ipſos penitentes ægritudine oppreſſos Presbyteri reconciliare poterant, niſi conſulto Epiſcopo, *c. Aurelius 26. q.* 6. ibi: “ Si Epiſcopus „ abſens fuerit, utique Presbyter debet conſulere Epiſcopum, „ & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare. *Concil. Brachar.* 2. can. 82. Qui in exitu mortis ſunt, & deſiderant „ accipere ſacramentum, cum conſideratione, & approbatione Epiſcopi accipere debent. „ De qua reconciliatione exaudiendus eſt Leo *in præſenti*. Videndus Alteſſerra *lib. 2. differt. c.* 8.

i *Pœnitentiam.*) Non ſolemnem, quam presbyteri facere nequeunt, ut probavi in *c. 1. de bigamis non ord.* ſed privatam, & ſacramentalem: cum enim Presbyteri Archipresbytero ſubſint, ab eo accipiebant ob peccata ſua dignam penitentiam. Concil. Turon. 2. *can.* 20. “ Illi vero Archipresbyteri, qui talem cautelam ſuper juniores ſuos habere noluerint, & non eos habuerint, ſtudio diſtringendi ab Epiſcopo ſuo in civitate, retrudantur in cella. „

i *Solemniter impleat.*) Ut dixi *in c. 1. circa fin. hoc tit.*

C A P U T III.

a Idem.

OFficium Archipresbyteri de *b* urbe conſtat, quando ibi Præſul defuerit, vice ejus officium *c* inchoare, benedictiones *d* Presbyterales in Eccleſia dare, Miſſam, quando voluerit, cantare, vel cui de ſacerdotibus juſſerit. Quando vero Epiſcopus Miſſam cantat, debet præcipere ſacerdotibus, ut induant ſe *e* veſtibus ſacris, qualiter ad Miſſam procedant. Debet enim præcipere cuſtodi Eccleſiæ, ut in ſacrario *f* Euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit. Debet infirmis providere, & providendo præcipere ſacerdotibus, ne forte ſine confeſſione, vel *g* confirmatione Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti moriantur: confeſſiones vero peccatorum eorum, qui a foris veniunt, *h* recipere cum omnibus ſacerdotibus, & exinde per juſſionem Pontificis magnam debet illis adhibere curam. Ad Chriſtianos quoque *i* faciendos, & baptizandos infantes, & ad ſuccurrendum omnia a ſacerdotibus, per juſſionem illius faciant.

N O T Æ.

a IDem.) Similiter etiam legitur, in prima collectione, *in hoc tit. cap.* 3. ſub eadem tamen incertitudine, cum non conſtet cujus Pontificis hujus nominis ſit, licet Leoni IX. eam tribuat Ant. Auguſt. *in notis ad primam collect. in hoc textu.*

1 b *De urbe.*) Archipresbyteri enim alii ſunt in urbe, ideſt in Eccleſiis urbanis conſtituti; alii in ſingulis plebibus, quæ plures habent parochias, præfecti, qui dicuntur Archirurales. De primis agitur *in c.* 1. *&* 2. *hoc tit. c. fin. de conſt. c. ſuper* 15. *de officio deleg. cap. dilectus* 55. *de appel.* Concil. Emerit. *can.* 10. De ruralibus *in c. ſi in plebibus*, 63. *diſt. c. fin. hoc tit. c. cum inter* 13. *de re judicata*: latius eorum differentias proſequitur Fileſacus de origine Parœciarum *c.* 3.

c *Officium inchoare.*) Non tamen confundendo ſe cum Cantore, ut animadvertit Barboſa *de dignit. c.* 6.

2 d *Benedictiones Presbyterales.*) Præſtandas in matutinis, & aliis horis canonicis. Exponit Gloſſa, quam ſequuntur Hoſtienſis, & Butrius. Sed, ni fallor, perperam; nam benedictiones, quæ dabantur in his horis canonicis recitandis, etiam Presbyterali gradu non decorati dare poterant, ut probant Benedictus Haæphtenus *in vita S. Benedicti, prolegom.* 18. §. 11. licet hanc ſolemnem benedictionem tantum Presbyterum dare poſſe ſtatuat Alex. IV. *in c. Abbate, de privil. l.* 6. Exiſtimo ergo in præſenti agi de Benedictionibus, quæ dabantur populo Miſſæ Sacrificio aſſiſtenti, de quibus *in c. Miſſas, de conſec. diſt.* 5. Eas abſente Epiſcopo Sacerdos dabat, *c. cum ad celebrandas*, ibi, "Cum „ ad celebrandas Miſſas in Dei nomine convenitur, populus „ non ante diſcedat, quam Miſſæ ſolemnitas compleatur; & „ ubi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat ſacerdotis. „ Licet eam benedictionem, quam Epiſcopi dum ad Eccleſiam procedunt Pontificio apparatu, vel occurrenti, vel confluenti populo dare conſueverunt, illis etiam abſentibus Presbyteri dare non poſſint: quo modo accipio canonem 47. Concilii Agath. in illis verbis: *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentiam in Eccleſia benedicere Presbytero penitus non licebit.* Plura cumulat de hac benedictione in Eccleſia præſtanda, dum populus Miſſæ ſacrificio adeſt, Sauſay *in Panopl. ſacerd. p.* 2. *l.* 1. *c.* 7. Alteſerra *l.* 6. *diſſert.* 9. Benedictionem ergo majorem, & ſolemnem Archipresbyter dare non poteſt, ſed tantum Epiſcopus, *c. Denique*, 21. *diſt.* vel Abbas, cui ex privilegio competit, *c. Abbate, de privil. lib.* 6. Minorem vero Archipresbyter dare poteſt ex hoc textu, & *c. Ecce ego*, 95. *diſt. c. cum ad celebrandas, de conſecr. diſt.* 1. Facit D. Hieron. *ad Ruſticum Narbon. Epiſc.* de ſeptem gradibus: "Si presbyter Chriſtum conſecrat, cum in altari „ Dei ſacramenta benedicat, benedicere populo non debet, „ qui Chriſtum etiam meruit conſecrare? „ Notavit Alteſerra *l.* 6. *diſſert. c.* 9.

e *Veſtibus ſacris.*) Ut aſſiſtant Epiſcopo celebranti, juxta Veterem Eccleſiæ morem, quem probavi *in c. antecedenti.*

f *Euchariſtia.*) *Cap.* 1. *de cuſtodia Euchariſtiæ*, ubi latius dicemus.

g *Confirmatione.*) Sicut ab effectu, quia poſt Primam gratiam per baptiſmum collatam, ſacramentum chriſmatis confirmat, ideoque dicitur Confirmatio, *c. ne jejuniis de conſecr. diſt.* 5. notant Baſilius *de Confirm. p.* 1. *cap.* 1. ita quia Euchariſtia ſupponit gratiam primam ſacramenti pœnitentiæ, & eam auget, & confirmat, dicitur confirmatio in præſenti.

h *Recipere.*) Non tamen abſolvere; nam a tempore S. Dionyſii, quo parochiæ diſtinctæ fuerunt, *c. Eccleſias* 13. *qu.* 1. non licuit alieno ſacerdoti parochianum alienum abſolvere, aut ad pœnitentiam, ſeu alia ſacramenta admittere, *cap. placuit, de pœn. diſt.* 6. *c. nullus, de parochiis*, *c. omnis, de pœn.* ubi notavit Balboa *n.* 22. Tantum ergo eos recipiebant, ut Epiſcopo præſentarent, a quo pœnitentia ſolemnis injungenda erat, *c. in c.* 50. *diſt.* in illis verbis: *Adeſſe debent Decani* (ideſt Archipresbyteri,) *parochiarum, & presbyteri pœnitentium, qui eorum converſationem, & pœnitentiam diligenter inquirere debent.*

i *Faciendos.*) Sive in eorum catecheſi, ſive in collatione Baptiſmi.

C A P U T IV.

a Joannes IX. *Ex Synodo Ravennæ habita.*

UT *b* ſingulæ plebes *c* Archipresbyterum habeant. Propter aſſiduam erga populum Dei curam, ſingulis plebibus Archipresbyteros eſſe volumus, qui non ſolum imperiti vulgi ſolicitudinem gerant; verum etiam eorum *d* Presbyterorum, qui per *e* minores titulos habitant, vitam jugi circumſpectione cuſtodiant, & qua unuſquiſque induſtria divinum opus exerceat, *f* Epiſcopo ſuo renuntient: nec obtendat Epiſcopus non egere plebem Archipresbytero, quaſi ipſe eam gubernare valeat: quia etſi valde idoneus ſit, decet tamen, ut partiatur onera ſua: & ſicut ipſi *g* matrici præeſt, ita Archipresbyteri præſint plebibus, ut in nullo titubet eccleſiaſtica ſolicitudo. *h* Cuncta tamen ad Epiſcopum referant, nec aliquid contra decretum ejus ordinare præſumant.

N O T Æ.

1 a JOannes IX.) Ita legendum eſt non *idem*, ut legitur in Decretalibus, & in prima collectione, *ſub hoc tit. c. ult.* anno enim 904 Ravennæ (de qua urbe egi *in c. ſi quando* 5. *de reſcript.*) celebratum fuit Concilium, aſſiſtentibus ſeptuaginta quatuor Epiſcopis, præſente Lamberto Imperatore, in quo plura ad morum reformationem, & diſciplinam Eccleſiaſticam adſtruendam, nonnullaque ſtatuta fuerant, quæ referunt Baron. *t.* 10. *in prædicto anno*, Coriolanus *in breviario*, & reperiuntur ejus acta in Conciliis nuper editis *t.* 24. *ſub tit. Concilii Anonimi*, de quo Concilio hæc refert Sigebert. *in Chron. an.* 309. „Hic etiam „ ad confirmandam Formoſi ordinationem, quem Stephanus „ Papa depoſuerat, Synodum 74. Epiſcoporum, præſentibus „ Francorum Archiepiſcopis, & Rege, apud Ravenam ſtatuit; „ & coram eo combuſta eſt ſynodus, quam Stephanus in damnationem Formoſi fecerat. „ In ipſa ergo Synodo *can.* 12. reperiuntur verba hujus textus. Alteſerra *l.* 6. *diſſert. c.* 8. credit præſentem canonem tranſcriptum fuiſſe ex canone 13. Concilii Regiaticin. celebrati anno 850. in quo hæc verba reperiuntur.

2 b *Singulæ plebes.*) Ideſt parochiæ; parochia enim plebs vocatur. Concil. Africanum *can.* 87. & Milevitanum *can.* 21. ibi: „Placuit, ut quicumque Epiſcopi plebes, quas ad ſuam Cathedram exiſtimant pertinere, non ita repetant. *Pariſienſe* 1. „ can. 25. Comperimus quorumdam Epiſcoporum miniſtros non „ ſolum in Presbyteris, ſed etiam in plebibus parochiæ ſuæ, „ ideſt diœceſeos, avaritiam potius exercere. *Regienſe* Can. 3. „ *Concilium Nannet.* Can. 4. Cum ſacerdos viderit aliquem infirmari in ſua plebe. „ Fileſacus *de origine Parœciarum*, *c.* 2.

c *Archipresbyterum.*) Ruralem; in hoc enim textu agitur de ruralibus, ſeu foraneis Presbyteris, de quibus *in c. ſi in plebibus*, 63. *diſt. c. dum inter* 13. *de re jud. Clem.* ibi: *Foraneo, de reſcriptis.* 3

d *Presbyterorum.*) Ideſt Parochorum ipſarum Eccleſiarum; 4 parochi enim rurales, ſeu foranei, dicuntur Presbyteri. Concil. Emeritan. *Can.* 9. Carthag. *can.* 36. *Presbyteri, qui per diœceſes Eccleſias regunt.* Vaſenſe *can.* 3. Vvormatt. *can.* 60. Troslejanum *can.* 6. & alii Presbyteri plebium, inde Plebani appellantur, *c. cum olim de præſcript.* Fileſacus *d. c.* 3.

e *Per minores titulos.*) Eccleſias appellari titulos, ſatis notum eſt, *c. Sanctorum*, 70. *diſt. c.* 2. *de præbendis*, ubi Deo annuente plura adducemus. Illud in præſenti notandum eſt Eccleſias Cathedrales appellari majores titulos; parochias vero, ſive urbanas, ſive rurales, dici minores titulos. Concil. Turon. ſub Carolo Magno, *Can.* 14. „De titulo minori ad majorem „ migrare nulli Presbytero licitum ſit, ſed in eo permaneat, „ ad quem ordinatus eſt. *Concilium Ticinenſe ſub Ludovico II.* „ Tollenda eſt enim prava omnino conſuetudo, quæ in quibuſdam locis oriri cœpit, quia nonnulli Archipresbyteri, „ vel aliorum titulorum cuſtodes, fruges, vel aliarum Eccleſiarum redditus ad proprias domos abducunt. *Mogunt. ſub* „ *Rabano* Can. 9. Nec Epiſcopo liceat matricis Eccleſiæ, nec „ Presbytero rem tituli ſui uſurpare. „ Notant Boſquetus *ad Innocentium III. l.* 1. *ep.* 136. Fileſacus *d. c.* 2.

f *Epiſcopo ſuo renuntiet.*) Concilium Altiſſiod. *Can.* 10. *&* 41. cujus verba ſupra retuli *in c.* 1. *hoc tit.*

g *Matrici.*) Licet Matrix Eccleſia, aliquando dicatur, quæ capellam ſubditam habet, *c.* 3. *de Eccleſiis ædificandis*; proprie tamen Eccleſia Cathedralis Matrix appellatur, *c. non habenti*, 50. 12. *q.* 2. *c. ex parte* 2. *de reſcriptis*, *Clement.* 1. ubi gloſſa *verbo Matricem*, *de ſent. excom.* Synodus Africana *Can.* 90. in illis verbis: *Si matricibus Cathedris Epiſcopus negligens fuerit.* Urbanus I. *epiſt. un. Ceperunt prædia, & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere.* Notant Boſquetus *in d. epiſt.* 136. Fileſacus *ubi ſup. pag.* 545.

h *Cuncta.*) Ex gravioribus videlicet cauſis, *c. nullus*, 16. 6 *q.* 7. leviora enim negotia ab ipſo, ut vicario foraneo, expediri poſſunt, *c. Epiſcopus* 7. *diſt.* 88. Concil. Altiſſiod. *Can.* 4. Ant. Auguſt. *in epitom. l.* 6. *tit.* 61. Docent de officio Archipresbyteri agentes Cæſar *de Eccleſiaſt. Hierarc. diſput.* 12. §. 2. Barboſa *de dign. cap.* 5. *& lib.* 2. *juris eccleſ. cap.* 25. Azor 2. *part. inſt. lib.* 3. *cap.* 15. Petrus Gregor. *lib.* 15. *ſyntag. cap.* 21. *& lib.* 5. *partit.* 2. *cap. fin.* Ferro Manrique de præced. *q.* 6.

T I T U L U S XXV.

De officio Primicerii.

C A P U T U N I C U M.

Idem *in libro* a *Romani Ordinis.*

UT *b* Primicerius ſciat ſe ſub *c* Archid. ſicut & Archipresbyter, & ad ejus curam ſpecialiter pertinere, ut præſit in docendo diaconis, vel reliquis gradibus Eccleſiaſticis in ordine poſitis: ut ipſe diſciplinæ, & cuſtodiæ inſiſtat, ſicut pro animabus eorum coram Deo rationem eſt redditurus: & ut ipſe diaconis, donet *d* lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent, & de ſingulis ſtudium habeat, ut in quacumque re capacem ſenſum habuerit, abſque ulla vacet negligentia, aut a quo ipſe juſſerit, inſtruantur.

N O T Æ.

1 a ROmani Ordinis.) De hujus libri origine, & auctoritate late egi *in c.* 1. *de Officio Archid.*

b *Primicerius.*) Nomen hoc, ut volunt Cujac. *ad tit. C. de Primicerio*, Briſſonius *de V. S. verbo Primicerius*, Svidas, & Meurſius *verbo Primicerius*, eſt ſimplex, non compoſitum, ſignificans primum in dignitate, & officio: unde D. Petrus Apoſt. primo dicitur Primicerius Apoſtolorum. Baldericus Archiepiſc. Dolenſis *in hiſtor. Hieroſolym.* D. Stephanus Protomartyr Primicerius Martyrum. D. Auguſtinus *ſerm.* 21. Apud Romanos primus menſorum dicebatur Primicerius, *l.* 1. *C. de menſoribus*, *l.* 12. primus fabricæ, Primicerius fabricenſium, *l.* 2. *C. de fabricenſibus*, *eod. lib.* primus ſcholarum, Primicerius ſcholarum, *in l.* 2. *C. de privil. ſchol. lib.* 12. primus judicum, Primicerius judicum, *in c. Eccleſia, de conſtit.*

Alii exiſtimant, compoſitum eſſe ex *primo*, & *cera*, quaſi Primicerius, ſit anteſignanus cujuslibet dignitatis in prima cera, & a capite laterculi ſcriptus. Ita Loayſa *ad Conc. Tolet.* 8. Petrus Greg. *l.* 2. *partit. tit.* 9. *c.* 5. *& l.* 15. *ſyntag. c.* 22. Platina *verbo Primicerius*, Meurſius *in Gloſſario, eodem verbo*, Cujacius, & Gothofredus *in l. un. C. de Primic. l.* 12. Pancirola *in not. Imp. Orient. c.* 1. *&* 2. qua ratione veteres cujuſque ſcholæ, collegii, ſeu corporis Primicerium, Secundicerium, & ſic deinceps dixerunt, *l.* 2. *& ult. C. de domeſticis*, *l.* 1. *& per totum C. de Primicerio*, & aliis congeſtis a Pancirola *l.* 1. *var. c.* 85. D. Hieronymus *in Chron. Jovinianus ex Primicerio domeſticorum Imperator eſt factus.* Ammianus Marcellinus *l.* 18. Caſſiodorus *l.* 6. *var. c.* ∴ *Notarium te noſtrum eſſe cenſemus, ut ordine decurſo militiæ, ad Primiceriatus feliciter pervenias ſummitatem.* Cum enim antiquitus ſcriberetur in tabulis ceratis pugillaribus, unde apud Conſultos dicuntur primæ, & ſecundæ ceræ teſtamenti, Paulus *l.* 5. *ſententiarum*, *princ. Inſt. de pupillari*, notarunt Pancirola *l.* 2. *var. c.* 28. Lælius Biſciola *l.* 8. *horarum ſucceſſiv. c.* 12. inde qui primus in matriculam, ſeu ceram clericorum ſcriptus eſt, dicitur Primicerius, *c. cum acceſſiſſent, de conſt. c. ex litteris* 29. *de officio deleg. c. perlectis, verſ. Ad Primicerium* 25. *diſt.* Barb. *l.* 1. *juris Eccl. c.* 28. Et in noſtra florentiſſima Salmanticenſi Academia, qui primus ex corpore clauſtri aliis per annum præeſt, primuſque habetur, Primicerius dicitur: ille habet peculiare officium, cui dum inſervirem per annum 1658. opuſculum edidi de officio Primicerii.

c *Sub Archidiac.*) Hæc verba expoſui *in c.* 1. *de officio Archipresbyteri.*

2 d *Lectiones.*) Officium enim divinum jam a primis Eccleſiæ temporibus conſtat non ſolum pſalmis, hymnis, collectis, verum & lectionibus, tam per horas matutinas, & veſpertinas, quam nocturnas recitandis. Conc. Matiſcon. 2. *Can.* 1. *c. Clericus*, *c. Eleuterius*, 91. *diſt.* Amalarius Fortun. *de ordine antiphon. c.* 4. Rodulphus Tungrenſis *de Canonum obſerv. c.* 13. plura Francolinus *de horis Canonicis*, *c.* 1. *dicemus in c.* 1. *de celebr. Miſſar.* unde venit exponendus difficilis canon 9. Concilii Tolet. 1. in illis verbis: "Nulla profeſſa, vel vidua, „ abſente Epiſcopo, vel Presbytero, in domo ſua antiphonas cum confeſſore, vel ſervo ſuo faciat. Lucernarius „ vero, niſi in Eccleſia, non legatur; aut ſi legatur in villa, præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur. „ In quibus non ſolum perdifficile eſt, quid per Confeſſorem in eo textu intelligatur, & quare caveant PP. ne ulla vidua, vel profeſſa, abſente Epiſcopo, vel Diacono antiphonas faciat; verum & quid per lucernarium in eo ſignificetur; & quare, niſi præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono, legi non poſſit. Pro interpretatione priorum verborum, omiſſis variis confeſſorum acceptionibus, quas proſequitur, & illuſtrat docte P. Gibal. *de reg. clauſ. diſq.* 1. *c.* 9. §. 1. *n.* 7. ſciendum eſt, Confeſſarios appellari cantores, & pſalmiſtas, qui ſunt in inferiori Clericorum gradu. Concil. Carthag. 4. *Can.* 12. Tolet. 1. *Can.* 6. *Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum Confeſſore.* Late probant Menardus *ad D. Greg. pag.* 61. Gibalinus *ubi ſup. n.* 9. Iſti Confeſſores, ſeu pſalmiſtæ, viduis profeſſis, & virginibus, non ſolum intra ſepta monaſterii, verum & in propriis ædibus docebant ordinem, & modum recitandi divinum officium: ut autem PP. infandum abuſum tollerent recitandi antiphonas in domibus privatis, & nimiam familiaritatem mulierum cum ipſis Confeſſoribus, prohibent ut nulla vidua, ſeu profeſſa, abſente Epiſcopo, Presbytero, vel Diacono antiphonas faciat cum Confeſſore ſuo, hoc eſt orationes antiphonatim alternantibus choris recitent. Secundæ partis ipſius canonis interpretatio provenit ex vera expoſitione verbi *lucernarii*. Lucernarium ergo ibi accipitur pro veſpertino officio, & ita appellabatur, quia lucernæ accendebantur tunc in Eccleſia ut late probat Gazæus *in notis ad Caſſianum l.* 3. *c.* 3. Loayſa *in notis ad ipſum Canonem* 9. & quia poſt veſpertinum officium Epiſcopi, & Presbyteri, atque ipſis abſentibus, Diaconus ſacras exponebat ſcripturas, Nicephorus *l.* 12. *hiſtoriæ*, *c.* 34. „ in Cypro, & Cæſarea Cappadocum, in Sabbato, & Dominico die veſperi, & poſt lucernarum accenſionem Epiſcopi, & Presbyteri ſacras ſcripturas populis exponunt. „ Cum ergo precationibus lucernariis adjungeretur lectio, & interpretatio ſcripturarum, ideo ſtatuunt Patres, ut lucernarium niſi in Eccleſia non legatur; vel ſi legatur in villa, fiat præſente Epiſcopo, Presbytero, vel Diacono, ut aliquis ex eis poſſit veſpertino officio adeſſe, & ſacras ſcripturas exponere. Docent Landtmet. *l.* 2. *de veteri Cler. c.* 61. *in fine*, Gibal. *d.* §. 1. licet aliter textum illum accipiat Hallier. *de hierarch. juriſd. lib.* 3. *art.* 2. §. 4.

COMMENTARIUM.

AD hujus textus veram interpretationem præmittendum 3 eſt, in Eccleſia jam a primis ejus temporibus in uſu fuiſſe cantum, ſeu pſalmodiam, tam in ſacrificio Miſſæ, quam in horis canonicis, ut late probant Lantdmet. *lib.* 2. *de veteri monacho*, *c.* 63. Pamelius *ad D. Cyprian. de Orat. Dominica*, *n.* 6. Coriolan. *in breviario*, *an.* 367. *&* 555. Mendoza *q.* 3. *poſitiva*. Et licet primis temporibus ultra clericos, cantores fuiſſent deputati, ut in Eccleſia pſallerent, Concil. Carth. 4. *Can.* 10. Laod. *Can.* 15. ſexta Synodus *Can.* 75. pluræ Gibal. *de Clauſur. diſq.* 1. *c.* 9. §. 1. poſtea tamen pſallentes, ſeu pſalmiſtæ ex ſubdiaconis, & aliis minoribus ordinibus aſſumebantur. Conc. Brachar. 1. *Can.* 29. D. Greg. *l.* 4. *regeſt. ep.* 38. Menardus *ad D. Gregor. pag.* 388. & ex illis ſchola cantorum, ſeu pſallentium inſtituta fuit in qualibet Eccleſia Cathedrali, & etiam regulari, ut plura de his ſcholis adducentes tradunt Landmet. *l.* 2. *de veteri Cleric. c.* 12. Cironius *in præſenti*, Gibal. *ubi ſup. & diſq.* 1. *c.* 2. §. 11. Roſuvedius *ad vitas Patrum, in onomaſt. verbo Schola*, Herrera *lib.* 1. *del origen del officio divino*, *c.* 15. Huic ſcholæ præerat, lectiones, ordinem, modumque pſallendi ſtatuebat, aſſignabatque Primicerius, *c. perlectis*, §. *ad Primicerium*, 25. *diſt.* alias dictus Præcentor, *c. Cleros* 21. *diſt.* cui parebat ſuccentor, quia ab eo inſtituebatur, de quo *in c. inter* 11. *de exceſſib. Prel.* Primiceriatus juxta diverſas Eccleſiarum conſuetudines, vel eſt tantum officium, *c. cum acceſſiſſent, de Conſtit. c. ſignificavit, el* 2. *de homicidio*: vel dignitas, *c. cum olim* 6. *de conſuetudine*. Obſervarunt Primicerii officium proſequentes, Ciron. *ad tit. de præb.* Barb. *lib.* 1. *juris Eccl. c.* 28. *& de dign. c.* 7. Tuſchus *lit. P*, *concl.* 650. P. Greg. *lib.* 15. *ſyntag. c.* 22. *& l.* 2. *partit.* 9. *c.* 5. Acunna *in d. c. perlectis*, Cæſar *de Eccleſiaſt. hier. diſp.* 12. §. 3.

BIBLIOTECA CENTRAL

BIBLIOTECA CENTRAL

TITULUS XXVI.

De officio Sacriſtæ.

CAPUT UNICUM.

Ex Concilio a Toletan.

UT ſciat ſe *b* Sacriſta ſubjectum Archidiacono, & ad ejus curam pertinere cuſtodiam *c* ſacrorum vaſorum, *d* veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri Eccleſiæ, necnon quæ ad *e* luminaria pertinent, ſive in *f* cera, ſive oleo.

NOTÆ.

1 a *Toletano.*) Ita etiam citatur hic textus in prima collectione, *ſub hoc tit.* & ab Ivone Carnot. *part. 6. Decreti; c.* 20. ſed in nullo ex Concil. Toletanis reperitur: quare exiſtimo in præſenti referri fragmentum alicujus Concil. Toletani nondum editi, ut etiam notavi *in c. 1. de officio Archipresb. c. 1. de ſervis non ord.*

b *Sacriſta.*) Sicut locus, in quo vaſa ſacra, ſacræ veſtes, & ſimilia Eccleſiaſtica miniſteria ſervantur, ſacrarium dicitur, *l. ſacra 9. ff. de rer. diviſ.* ita qui earum curam, cuſtodiamque habet, dicitur ſacriſta, *l. 6. tit. 6. p. 1.* ut notant Cæſar. *de Eccl. hierarch. q. 2. prœmial. §. 5. n. 2.* Petr. Greg. *l. 15. ſyntagm. c. 39. n.* 70. & quia totius theſauri curam habet Eccleſiaſtici, ut in hoc textu docetur, etiam appellatur theſaurarius, *c. perlectis, §. ad theſaurarium, 25. diſt. c. cum noſtri, de conceſſ. preb.* Innoc. III. *l. 1. regeſt. ep. 57.* & Juſtinianus eum appellat cuſtodem vaſorum *in l. ſancimus 21. C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, Cemeliarcham *in l. ult. § fin. C. de rebus authoritate judicis*, ex ratione tradita *in c. ea 3. verſ. Cemelii, de offic. Archid.* Et licet propter dictam curam, & cuſtodiam tantum officium in Eccleſia obtineret; poſtea tamen tam conſuetudine, quam ſtatutis diverſarum Eccleſiarum dignitate præfulget; unde tanquam dignitate prædito cauſarum cognitionem conſuevit R. Pontifex illi delegare, *c. cum olim 32. in fine, de officio deleg. c. ex tenore 11. de foro compet.* Sacriſtæ officium, & miniſteria proſequuntur Cæſar *d. §. 5.* Barb. *de dignit. cap. 7. lib. 10. juris Eccl. cap. 27.* Narbona *de ætate, ann. 8. q. 5.*

2 c *Sacrorum vaſorum.*) Ut calicis, patenæ, thuribuli, candelabri, & ſimilium: & licet primis Eccleſiæ temporibus vaſa ſacra tantum fuiſſent vitrea, aut lignea; tamen jam a temporibus Zephirini, & Urbani I. argentea tantum in uſu ſunt, *c. vaſa, c. ut calix 45. de conſecrat. diſt.* 1. plura tam circa materiam, quam formam eorum, tradunt Covarr. *lib. 4. var. cap.* 22. Acunna *in cap. ridiculum, diſt.* 12. Baronius *an.* 216. *& in martyr. die 7. Auguſti*, Coriol. *in breviar. an.* 103. Suar. *de Sacram. q* 83. *art. 3. ſect.* 7. Alciat. *lib. 7. parerg. cap.* 24. Vicecomes *de ritibus Miſſæ, vol. 4. l. 6. c. 5. & 9.* Sauſay *in Panopl. ſacerd. p. 1. l. 8. c. 4.* Severinus Binius *in notis, ad Zepherinum*, Caſſanate *in notis ad Lactantium, l. 2. c. 4.* Antonius Monchiacenus *de ſacrif. Miſſæ, lib. 3. c. 6.* P. Gabriel de Henao *tom. 2. de ſacrif. Miſſæ, diſp. 26. per totam*, & nos *in c. 1. de pignor.*

d *Veſtimentorum.*) De quibus nonnulla adduxi *in cap. unico, de ſacra unct.*

e *Luminaria.*) *Cap. 1. de officio cuſtodis*, ubi dicam.

f *Cera, ſive oleo.*) His duabus materiis ad luminaria uti poſſe, late probant Stuchius *de Sacrificiis, pag.* 55. Catellianus Cotta *verbo Cereum*, Dorleans *ad Tacitum, lib. 1. pag.* 56. tam in templis Chriſtianorum, quam Gentilium.

COMMENTARIUM.

3 EX hoc textu deducunt communiter repetentes, & de officio Sacriſtæ agentes, ad Sacriſtam ſpectare cuſtodiam vaſorum, veſtimentorum, & luminarium. Sed contrarium nonnulla juris teſtimonia probare videntur. Et primo id ſuadetur *ex cap. acolytus, 23. diſt.* in illis verbis: *Eccleſiæ luminaria.* Ex quibus conſtat, ad acolytum ſpectare ratione proprii gradus cuſtodiam luminarium: igitur non competit ſacriſtæ ratione proprii officii, ut in præſenti docetur. Pro cujus textus interpretatione diſcrimen eſt conſtituendum inter officium cuſtodiendi ipſa luminaria, & miniſterium ſervandi oleum, & ceram ad ea accendenda; & inter deferre ipſa luminaria in Eccleſia, cum legitur Evangelium, aut horæ Canonicæ recitantur: cuſtodia ſpectat ad ſacriſtam, ut in præſenti docetur: ipſa vero delatio, & præparatio luminarium ad acolytum pertinet, *c. perlectis, verſ. ad acolytum 25. diſt. cap. Cleros, verſ. acolytus, 20. diſt.* Docent, & plura de acolyti officio adducunt Petrus Greg. *lib. 15. ſyntagm. c. 6.* Eſpenceus *ad D. Paulum lib. 1. digreſſ. c. 6.* Zerda *in adverſ. c. 94.* Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. c. 6.* Menardus *ad D. Gregor. pag.* 272. Vicecom. *de ritib. Miſſæ, vol. 3. l. 1. c. 25.* Secundo obſtat textus *in c. 3. Concil. Metenſis*, in illis verbis: *Cuncti presbyteri, ut libros, & ſacerdotalia veſtimenta ſuo Epiſcopo in proxima Synodo oſtendant.* Ex quibus conſtare videtur, potius ad Presbyteros, quam ad ſacriſtam ſpectare cuſtodiam veſtimentorum, & librorum Eccleſiæ. Pro cujus canonis ſolutione dicendum eſt, quod licet in eo probetur, Presbyteros oſtendere debere libros Eccleſiaſticos, & veſtimenta ſacra Epiſcopo ad Synodum venienti; non tamen inde recte deduci, ad eos cuſtodiam pertinere; ſacriſta enim ea cuſtodit, ſed Presbyteri Epiſcopo viſitanti oſtendunt. Theodulphus ad Presbyteros Aurel. *cap.* 4. in illis verbis: „ Quando more ſolito ad Presbyterum convenitis, veſtimenta, & libros, & vaſa ſancta, cum quibus veſtrum miniſterium, & injunctum officium peragatis. *Refert Ant. Aug.* „ in epit. juris, lib. 17. tit. 7. c. 25. *Tertio obſtat textus* in „ c. oſtiarius, 23. diſt. in illis verbis: Pro his rebus, quæ „ his clavibus recluduntur. „ Ex quibus colligitur, ad oſtiarium ſpectare cuſtodiam vaſorum, & veſtimentorum Eccleſiæ: igitur hoc officium non eſt proprium ſacriſtæ. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, oſtiariis tempore ſuæ Ordinationis tradi Eccleſiæ claves, ut cuſtodiant Eccleſiam; & res in ea exiſtentes, præcipue, ut præſint januis, ne ſinant in Eccleſiam ingredi communione Eccleſiæ privatos, & eos, quibus fas non eſt adire ſacra, unde janitores dicuntur, *c. nemo, de conſec. diſt.* 1. Concil. Laodic. *can.* 22. & 43. plura Vicecom. *ubi ſupra*, Petr. Greg. *lib. 15. ſyntag. c.* 30. non tamen oſtiarii gradus ratione habent cuſtodiam eorum, quæ in ſacrario, ſeu diaconio continentur; quia hæc ad ſacriſtam ſpectant, ex ſupra traditis. Tandem opponitur textus *in Conc. Tolet.* celebrato anno 12. Recharedi Regis, *can.* 2. in illis verbis: „ Certe ſi minor eſt cenſus, oſtiarius a ſacerdote ſit electus, qui nitorem infra ſinus S. Eccleſiæ, „ faciat, qui & ſanctarum Reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendat. Ex quibus deducitur, curam luminarium ad oſtiarium pertinere: igitur non ad ſacriſtam. Sed reſpondendum, eſt ad oſtiarium ſpectare accendere ipſa luminaria, & ante Reliquias ponere, non vero cuſtodire earum materiam, videlicet oleum, ſeu ceram, quarum rerum cuſtodia ad ſacriſtam ſpectat; ut in hoc textu docetur.

TITULUS XXVII.

De officio Cuſtodis.

CAPUT PRIMUM.

Ex libro a Romani Ordinis.

b CUſtos Eccleſiæ, cui ea quæ *c* Eccleſiæ competunt, cuſtodienda committuntur, oportet, ſui Archid. juſſioni in cunctis obediat; in Canonicis horis ſigna *d* tintinnabulorum pulſanda, ipſo Archidiacono jubente ab eo pulſentur: pallia, vel *e* linteamenta altaris, ſeu cuncta *f* utenſilia Eccleſiæ indeſinenter coſtodiat; *g* lampades, & lanternas in accendendo, ſeu in extinguendo pervigil exiſtat, ne aut ſupra modum lucendo oleum depereat, aut minus *h* lucendo obſcurior ſit Eccleſia; ſed omnia cum diſcretione agantur, quæ noſcitur mater omnium virtutum eſſe. Si vero is minus idoneus ad hoc peragendum extiterit, ab Archidiacono coerceatur, ut ſe *i* emendet. Si autem indomitus permanſerit, Archidiaconus Epiſcopo denuntiando provideat, ut indecente ejecto aptus domui Dei conſtituatur miniſter, ut omnia in laudem Dei fiant.

NOTÆ.

a *EX libro.*) De hoc libro, & ejus authoritate egi *in c. 1. de officio Archid.*

b *Cuſtos.*) Qui res, aut perſonas ſervant, cuſtodiuntve, dicuntur cuſtodes, *l. 3. ff. de adminiſtr. tutor.* Unde qui Eccleſias, earumque res cuſtodiunt, recte cuſtodes appellantur. Sicut & apud Gentiles, qui templa cuſtodiebant, cuſtodes dicebantur, *l. ſervos 12. ff. de alim. legat. l. ſervos 35. ff. de liberali cauſſa, l. annua 20. ff. de annuis legatis*: quorum frequens mentio apud Juſtinum *ep. ad Diognetum*. Cyprianum *epiſt. ad Demetrianum*, Arnobium *l. 6. adverſus gentes*, quos refert Jacobus Gothofredus *in l. 1. C. Theod. de Fide Catholica*. Dicebantur etiam ab ædibus cuſtodiendis æditui. Gellius *l. 12. noctium, c.* 10. Demſter. *ad Roſinum l. 3. antiq. c.* 30. ſicut & a baſilicis ipſi cuſtodes baſilicantes dicuntur, *c. perlectis, 25. diſt.* pleruinque tamen cuſtodes, *c. cum dilecta, de reſcriptis*.

2 c *Eccleſia.*) Iſti enim miniſtri Eccleſiam ipſam, non vero Deum, Dominumque noſtrum cuſtodiunt, ut Gentilium æditui faciebant, qui præponebantur, ut Deos ipſos cuſtodirent, quos reprehendit Juſtinus Martyr *apolog. 2. Deos*, inquit, „ ut „ adorent, fingere dicitis, ac mutare, & fanorum, in quibus dedicantur, tales cuſtodes, tutelareſque ſtatuere: nec intelligitis nefas eſſe, & intelligere, & fateri homines Deorum eſſe cuſtodes. *Arnobius* lib. 2. adverſus Gentes, poſt medium, *ibi*: Si apertum vobis, & liquidum, & in ſignorum viſceribus Deos vivere, atque habitare cæleſtes curſus, ſub validiſſimis clavibus cuſtoditis. *Et paullo inferius*: Ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, ædituis mille protegitis, ac excubitoribus mille, cur canes in Capitoliis paſcitis? cur anſeribus victum, alimoniamque præbetis? *Quos & damnaſſe videtur D. Cypr.* in libello contra Demetrianum, *in illis verbis*. „ Ultio veſtra defendit, quomodo & clauſos, ne pereat tutela „ veſtra, cuſtodit; pudeat Deos colere, quos ipſe defendis; pudeat de illis tutelam ſperare, quos ipſe tueris. " Exiſtimabant enim Gentiles, Deos cuſtodia ſua egere. Symmachus *l. 1. epiſt.* 40. ibi.: „ Convenientes Sacerdotes, ut in cuſtodiam civium publico „ obſequio traderemus Deorum curam: fortaſſis Deos ita cuſtodiebant, ne aut fugientes eos desererent, & in aliam Civitatem migrarent, ab aliis civibus evocati. " Cujus evocationis veſtigia extant *in l. ſacra 9. §. 2. ff. de rerum diviſione*, ubi Gothofredus *litt. G. leg. cum loca 36. ff. de religioſis*: notant Alciatus *in leg. pupillus, §. urbs, ff. de V. S.* Germonius *de ſacror. immun. lib. 2. c.* 15. Julius Cæſar Scaliger *l. 3. de Poeticis, c.* 103. Cuſtodes ergo, de quibus in hoc titulo, Eccleſiam, omniaque, quæ illi competunt, cuſtodire debent, ut eorum uſus repetens probat Baronius *an. 34. n. 287. & ann. 109. n.* 28. non autem Deum, ut faciebant cuſtodes templorum Gentilium.

3 d *Tintinnabulorum.*) Licet in lege veteri populus ad ſacrificia convocaretur tuba, juxta præceptum Moyſi datum *Num. c.* 11 ibi: *Fac tibi duas tubulas argenteas; & c. 23. Deuter.* & Gentiles ad ſua ſacra tibiis, & tympanis evocarentur, ut late probat Gutherus *l. 2. de jure Pontific.* 14. tamen in Eccleſia pro temporum varietate diverſis ſignis datis fideles ad ſynaxim, & Miſſæ ſacrificium convocabantur; ſævientibus enim perſecutionibus, & fidelibus quaſi obſeſſis, ſignum publice non dabatur, ſed per curſorem fideles convocabantur, ut conſtat ex D. Ignatio *epiſt. 11. ad Polycarpum*: referunt Baronius *an. 58. n.* 102. Lantdm. *l. 2. de veteri monacho, c.* 64. & quia curſoris officium proprium erat diaconi, vel lectoris, Ignatius *ep. 23. ad Heronem diaconum*, cui ita ſcribit: *Synaxim ne negligas omnes nominatim inquirere*; ideo etiam pace reddita Eccleſiæ, adhuc Archidiacono tamquam primo diaconorum competit, ſi non immediate, mediate ſaltem per cuſtodem populum convocare ad Divina officia. Poſtea in Eccleſia perſecutionum procellis ceſſantibus ſignum dari cœpit ſonitu lignorum, præcipue in Eccleſia Orientali, & inter monachos. Metaphraſtes *in vita S. Theodoſii*, ibi: „ Monachi autem „ quidam ex monaſterio propinquorum, qui morbo laborabant, „ cum nos vidiſſent accedentes, lignum, quod convocat ad Eccleſiam, pulſabant ante horam conſuetam, & ſynaxim ſignificabant fratribus. *Et in vita S. Chryſoſtomi*: Cum rurſus vidiſſet tam diligentem, & tam ſeriam collocutionem, lignum „ vero jam pulſatum vocaret ad congregationem. " In aliis etiam provinciis voce *Alleluja*, decantata, fideles ad Miſſam, & horas Canonicas vocabantur. Div. Hier. *ep.* 27. ad Euſtochium: „ Poſt Alleluja cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, „ nulli recedere licitum erat. *Notarunt Roſuveidus* in vitis PP. in „ onomaſt. verbo, Signo dato, *Gazeus* in notis ad Caſſianum, „ in regula S. Pachomii, pag. 1079. " Jam ab an. 600. ære pulſato fideles convocari cœperunt ad Miſsæ ſacrificium, & Divina officia, ut ex noſtro textu conſtat, qui deductus eſt ex libro Romani Ordinis compoſito ſexto ſæculo Eccleſiæ, & ex ipſo libro, *tit. de Sabbato Sancto*, in illis verbis: *Campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Miſſam.* A quo tempore campanas in Eccleſia in uſu eſse cœpiſse verius eſt, quidquid de earum inventione adducant Vergilius *de inventione rerum, l. 6. can.* 12. Lantdm. *d. lib. 2. c.* 64. Grethſerus *l. 1. ad Codinum, c.* 11. Magallanus *ad D. Paulum in epiſt. ad Titum, c. 2. ſect.* 2. Majolus *dier. canicul. v. Metalia*, Barboſa *l. 2. voto* 102. Suar. *in defenſ. Fidei, l. 2. cap.* 16. Herrera *in origine Divini Officii, l. 1. cap. 7. & 8.* & licet earum uſum hæretici improbis ſuis latratibus impugnare intendant, docte eos refellunt Suar. *ubi ſupra*. Bellarm. *in apolog. adverſus Regem Angliæ, cap.* 8. Jodocus Coccius *tom. 2. theſauri, lib. 3. art.* 6.

e *Pallia, vel linteamina.*) Aliud eſt pallium, aliud vero linteamen; pallium enim eſt tegumentum altaris. Juſtianianus Comes *in epiſt. ad Hormiſdam Pontificem*, ibi: *Duo pallia ſerica ad ornamentum altaris ſanctorum Apoſtolorum direximus.* Anaſt. Bibl. *in vita Hormiſdæ*, ubi dum refert alia ornamenta, quæ ad Miſſæ apparatum pertinent, ait: „ Pallia oloſera, blatea cum tabulis auro tectis, de chlamyde, vel de ſtola Imperiali. *Vicecomes* volum. 4. de ritibus Miſsæ, lib. 7. c. 9. " Linteamen vero eſt corporale, ita dictum, quia debet eſse ex lino contextum, *c. conſulto 46. de conſecrat. diſt.* 10. Concilium Rhemenſe relatum a Burchardo *l. 3. Decreti, c.* 98. his verbis: „ Corporale, ſuper quod ſacra oblatio immolatur, ex mundiſſimo, & puriſſimo lino ſit. *Damaſus in Sylveſtro Pontifice*: Conſtituit, ut „ ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tincto conſecraretur, niſi tantum in lino ex terra procreato. " Plura de corporali, & ejus forma Vicecomes *vol. 4. de ritibus Miſſæ. l. 7. cap.* 1. Ferrandus *lib. 1. diſq. reliq. lib. 1. c. 1. ſect.* 6. P. Gabr. de Henao *tom. 2. de ſacrif. Miſſæ, diſp. 25. ſect.* 1.

f *Utenſilia.*) Conſonant textus *in c. 2. hoc tit.* Adverſatur tamen textus *in c. unico, de officio ſacriſtæ*, ubi aſſeritur, ad curam ſacriſtæ pertinere cuſtodiam ſacrorum vaſorum, & veſtimentorum: igitur non ad cuſtodis officium pertinet utenſilia, & veſtimenta Eccleſiæ ſervare. Gloſſa præſenti affirmat, hæc jura eſſe exaudienda juxta diverſas Eccleſiarum conſuetudines, ita ut aliquando ad ſacriſtæ officium, quandoque ad cuſtodis curam ſpectet cuſtodia veſtimentorum. Sed rectius Hoſtienſis in præſenti, & Butrius *in d. c. unic. de officio ſacriſtæ*, exiſtimant ad ſacriſtam ſpectare cuſtodiam theſauri, & veſtimentorum pretioſorum Eccleſiæ: ad cuſtodem vero curam veſtium utenſilium, quæ neceſſariæ ſunt ad uſum quotidianum, & Divina Officia, ut facile probatur ex prædictis verbis: *utenſilia*, &c. *& ex d. c. unico*, ubi totius theſauri Eccleſiaſtici cura ſacriſtæ committitur. 4

g *Lampades, & lucernas accendendo.*) *Cap. nemo, de conſecr. diſt.* 1. Concil. Aquiſgr. *canon.* 131. ibi: „ Cuſtodes Eccleſiæ cum „ omni diligentia luminaria ad horas Canonicas provideant. „ *Anton. Aug.* in epit. juris, l. 17. tit. 9. „ nec in præſenti præſcribitur, an per diem tantum, an per noctem luminaria in Eccleſia accendi debeant; quia non ſolum ad nocturnas, verum & ad diurnas horas accendi ſolent. D. Hieronym. *in epiſt. ad Riparium*, in illis verbis: „ Per totas Orientis Eccleſias, quando „ legendum eſt Evangelium, accendi luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ, demonſtrandum. „ Docent, & plura de perantiquo uſu lucernarum in Eccleſia congerunt Baronius *anno 34. & anno 58. n. 70. & an. 233. n.* 2. Loayſas *in notis ad Concil. Brachar. 2. can.* 2. Dorleans *ad Tacitum lib. 1. pag.* 55. Baronius *an.* 58. ubi Spond. *n.* 24. Vicecomes *vol. 4 de ritibus Miſſæ, lib. 7. cap.* 24. Roa *lib. 2. ſingul. c. 15. cum tribus ſequent.* Majolus *dierum canicul. verbo Ignis*, Zerda *in adverſ. cap. 33 & 92.* Mendoza *lib. 3. Concilii Illiberit. c.* 2. Lantdmet *de veteri Clerico, lib. 2. cap.* 78. Ambianas *ad Tertul. de fuga, cap. 14. obſerv. 2. & de exhortat. cap. 13. obſerv. 1. & de idololatria, c. 15. obſerv.* 2. Pinto *in Cantica lib. 1. cap. 2. verſ. 11. n.* 161. Bulenger *lib. 3. opuſc. cap.* 11. Creſolius *lib. 2. myſtagog. cap. 21 ſect.* 3. Serlogus *t. 2. in Cantica, veſtig. 13. ſect. unica*, Anton. Monchiacenus *3. part. de ſacrif. Miſſæ, cap.* 10. Carrier. *t. 2. theſauri Fidei, pag.* 611. Jodocus *lib. 6. theſauri, art.* 13. Cochier *in facie hiſtor. 2. par. cap. 1. 5. 8. & 18.* plura Bovius *in Roma Subterranea, lib. 1. t. 1. c.* 18. & nos *in c. fin. de celebr. Miſſar.* Sed Vigilantius, & alii hujus uſus cereorum impugnatores expendunt difficilem locum Lactantii *l. 6. Divin. inſt. c.* 2. in illis verbis: „ Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt, qui auctori, & datori luminis, candelarum, „ ac cereorum lumen offert pro munere? Aliud vero ille a „ nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, ſed (ut ait „ Poeta) liquidum, atque clarum, mentis ſcilicet. *Et paullo* „ *inferius*: Illorum autem Dii, quia terreni ſunt, egent luminibus, ne in tenebris ſint, quorum cultores, quia cæleſte nihil ſapiunt, etiam religiones, quibus deſerviunt, „ ad terram revocant. " Ex quibus improbari videtur pius Eccleſiæ lucernarum uſus. Sed Antonius Raudenſis Theologus, qui errores Lectantii correxit, hunc primum inter errores l. 6. notat, & non improbabiliter. Sed Iſæus Cæſanete *in notis ad ipſum, c.* 2. affirmat Lactantium non improbare uſum lucernarum, ſeu luminarium Deo gratiſſimum, omnibuſque litteris commendatum: ſed eos increpare, qui in Eccleſia luminaria accendunt ea fide, ut credant Deum in tenebris agere, vel luminibus indigere; quos merito Lactantius damnat. Quæ interpretatio ſuadetur ex prioribus verbis ipſius capitis 2. ibi: „ Mactant „ igitur opimas, & pingues hoſtias Deo, quaſi eſurienti; profundunt vina tamquam ſitienti; accendunt lumina velut in tenebris agenti. " Difficile etiam, & merito in hac parte omnibus videtur Conc. Illiber. *can.* 34. in illis verbis: " Cereos per diem „ placuit in cœmeterio non incendi; inquietandi enim non ſunt „ ſanctorum ſpiritus; qui hæc non obſervaverint, arceantur ab „ Eccleſiæ communione. „ In cujus expoſitione libenter immorarer, niſi actum agerem; plura enim jam in ejus notis dedi, & præoccuparunt Mendoza, & Albaſpineus *in eo canone*, Baſilius de Leon *var. diſq. q. 2. ſcholaſt. c.* 1. Bovius *in Roma Subterranea, t. 1. l. 1. c. 4. cum ſeqq.* Spondan. *de cœmeteriis, p. 3. l. 1. c.* 20. Coriolanus *in notis ad ipſum canonem*, Ramirez de Prado *ad S. Orencium, pag.* 43. Salmut. *ad Pancirol. lib. 2. voto* 103. *num.* 59. noviſſime Præceptor D. Joſephus de Retes *lib. 8. opuſc. c.* 27.

h *Minus lucendo.*) Æque enim peccatur, ſi exceditur modus, in quo eſt plus, ac in eo, quod eſt minus, *c. qui in aliquo, 51. diſt. c. diſciplina, 45. diſt. l. reſpiciendum, ff. de pœnis*; plura de prudentia adhibenda in negotiis, tradit Solorzanus *de jure Indiar. t. 2. l. 2. c. 7. n.* 69.

i *Emendat.*) Quia hæc omnia, quæ Cuſtodi mediate competunt, ad Archidiaconum immediate ſpectant; unde extravagans Joannis XXII. licet de Archidiacono tantum loquatur, ſub titulo tamen de officio cuſtodis proponitur.

j *Canonicis horis.*) Certis enim horis diei, ac noctis campanæ pulſantur. Primo tempore ſacrificii Miſſæ, & horarum canonicarum, *c. ſolent, de conſecr. diſt. c. 2. hoc tit. c. 1. Joannes, de homicid.* cum elevatur hoſtia in Miſſa ſollemni, ut probat Stephan. Cantuar. Epiſcopus in ſua conſtitutione relata a Cironio *in c. 1. de celeb. Miſſ.* in hæc verba: „ In elevatione corporis Chri„ ſti pulſentur campanæ, ut populares, qui celebrationi Miſſa„ rum non valent quotidie intereſſe, ubicumque fuerint, ſive in „ agris, ſive in domibus, flectant genua, indulgentias conceſ„ ſas a pluribus Epiſcopis habituri. *Concil. Tarrac. ann. 1406. ibi:* „ Ut temporibus generalis interdicti, & ceſſationis divino„ rum, quando corpus Chriſti elevatur in qualibet Eccleſia, ma„ jus cymbalum in corporis Chriſti, tribus vicibus, & aliis tri„ bus vicibus in ſanguinis ejuſdem elevationibus pulſetur, ut „ populus hujuſmodi ſigno admonitus oret genu flexo, & in„ dulgentias acquirere valeat. “ Item cum viaticum, ſeu corpus Domini ad infirmos defertur. Cardinalis Sabinenſis A. S. L. in Concil. Illerd. ann. 1219. celebrato, ibi: *Sacra Euchariſtia ad infirmos cum campana honorifice defertetur.* Item hora meridiana, ex conſtitutione Calixti III. ut fideles eos juvarent orationibus, qui contra Turcas dimicabant. Item veſpere hora ſalutationis Angelicæ: in receptione Epiſcoporum, & etiam Abbatum jura Epiſcopalia habentium, *c. fin. de cauſſa poſſeſ. in 5. collect.* Item ad fugandas tempeſtates, ut probat Hieron. Majus *l. 5. miſcell. c. 14.* In obitu defunctorum Beda *l. 4. hiſtor. c. 23. Audivi notum campanæ ſonum, quo ad orationes excitari, vel convocari ſolebant, cum quis de hoc ſæculo fuiſſet evocatus.* Quod & apud Gentiles obſervatum invenio, apud quos ſi quis e vita exceſſiſſet, æra, campanæve pulſabantur, ut vetus Theochriſti ſcholiaſtes habet, eo quod is ſonus credebatur eſſe purus, & avertens ſpectra, & dæmonum ludibria. Notavit Novarin. *l. 1. ſchediaſm. c. 27.* Item & pulſantur campanæ ad alios actus humanos exercendos, quos referunt Carrier. *t. 2. theſauri fidei, p. 518.* Kochier *in face hiſtor. cent. 2. c. 48.* Barboſa *t. 2. voto 102.* Ripa *de nocturno tempore, c. 5.* Narbona *in horographia, n. 140.* & nos alia de campanis dabimus *in c. petentibus, de privil.*

C A P U T II.

Ex Concilio a Toletano

CUſtos vero ſollicitus debet eſſe de omni *b* ornamento Eccleſiæ, & *c* luminariis, ſive *d* incenſo: necnon *e* panem, & vinum omni tempore ad Miſſam præparatum debet habere. Debet etiam per ſingulas canonicas horas ſignum ex conſenſu Archidiaconi ſonare, ut *f* oblationes, vel decimas, vel eleemoſynas cum ejuſdem conſenſu, & abſente Epiſcopo, inter fratres dividat. In his tribus Eccleſiæ columnis, ut ſancta ſanxit Synodus, conſiſtere debet alma mater Eccleſia, ut ad hoc opus tales ordinentur, quales plus *g* meliores, & ſanctiores eſſe viderint, ut nulla negligentia in ſancta Dei Eccleſia eſſe videatur. Hi tres, Archidiaconus, Archipresbyter, Cuſtos, providi ſimul juncti, uno animo peragant, & perfecte, & non ſit invidia, nec zelus inter illos.

N O T Æ.

a TOletano.) Ita etiam habetur *in c. 2. hoc tit. in 1. collect.* Sed non conſtat, ex quo Concilio textus hic tranſcriptus ſit: quare eſſe fragmentum alicujus Concilii nondum editi exiſtimo; quod etiam notavi *in c. 1. de officio ſacriſtæ, c. 1. de officio Archipresbyteri.* De eo agit Caſal. *de ritib. Eccleſ. c. 41.* Fortun. Schac. *t. 2. elochriſ. cap. 6.*

b *Ornamento.*) De quo aliqua retuli *in c. unico, de ſacra unct.*

c *Luminariis.*) De quibus *in c. antecedenti.*

d *Incenſo.*) Peculiaris ritus jam a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia obſervatus fuit ſuffitus aromatum in divinis officiis, *can. 4. Apoſt.* in illis verbis: „ Preterea licitum non eſto „ aliud quodpiam admovere ad altare, quam oleum in can„ delabrum, & incenſum oblationis tempore, “ Quem ritum Apoſtoli a Judæis acceperunt: apud eos enim valde in uſu erat, ex præcepto Moyſi dato, incenſi oblatio, & thurificatio, *c. 3. Exodi:* „ Facies quoque altare ad adolendum thymia„ ma de lignis Setim. *Et Dominus apud Malachiam c. 1. ait:* „ Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum „ in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur no„ mini meo oblatio munda. “ Ubi LXX. vertunt, *incenſum offertur mihi.* Et textus Hebraicus exprimit, *incenſa.* Hanc igitur thurificationem, ſeu ſuffitum incenſi Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſacro altaris miniſterio adjunxerunt, ut conſtat ex variis Liturgiis. Ex Liturgia B. Petri, in illis verbis: „ Si„ cut Zachariæ ſuffitum thymiamatis ſuſcepiſti, ſic de ma„ nibus noſtris peccatorum hanc ſuſcipe thurificationem in „ odorem ſuavitatis. *Ex Miſſa B. Jacobi, ibi:* Præſentem hunc „ ex nobis inutilibus ſervis tuis ſuffitum recipere in odorem „ ſuavitatis. „ Ex Dionyſio, & Evagrio probat Carrier. *t. 2. theſauri fidei, de thurificat. pag. 612.* Plura de incenſo, & hujus ritus myſticis rationibus tradunt Anton. Monchiacenus *de ſacrificio Miſſæ 3. par. c. 11.* Vicecomes *vol. 4. de ritibus Miſſæ, lib. 6. c. 35.* Creſolius *lib. 4. myſtag. cap. 8.* Ambianas *ad Tertull. c. 3. obſerv. 2.* Stuchius *de Sacrificio Gentil. fol. 51.* Cochier *in face hiſtor. c. 59.* Alteſſera *de Ducibus, cap. 17.*

e *Panem, & vinum.*) Panem azymum, & vinum vitis, in quibus conſiſtit materia remota Sacramenti Euchariſtiæ, ut late probabo *in c. fin. de celeb. Miſſar.*

f *Oblationes; vel eleemoſynas.*) Ante diviſionem enim bonorum Eccleſiæ a S. Simplicio factam *in cap. quatuor, c. de redditibus 12. q. 2.* omnia Eccleſiæ bona, videlicet oblationes, eleemoſynæ, & decimæ communia erant, & in communi poſſidebantur ab Epiſcopo, clericis, & pauperibus, & ab Epiſcopo juxta cujuslibet ex fidelibus neceſſitatem diſtribuebantur, *c. fin. 16. q. 1. c. ſcimus 9. c. volo 10. c. habebat 17. c. res Eccleſiæ 26. 12. q. 1.* ad quæ tempora referenda ſunt prædicta verba hujus textus.

g *Meliores, & ſanctiores.*) An dignior ſemper præferendus ſit digno, late diſputabimus *in c. grave 29. de preb.* Interim videndi ſunt Garcia *de benef. 7. par. c. 16.* Manrique *de different. utriuſque fori, q. 48.* Velaſco *de privil. pauper. par. 1. q. 7.* Zapata *integro tr. de juſt. diſtrib.* Bobadilla *lib. 1. polit. c. 3. n. 77.* Diana *par. 1. tr. 4. reſol. 34.* Eſcobar *de utroque foro, ar. 5. §. 11.* Petrus Bollo *in œconom. c. 1. §. 5.* Barboſa *de officio Parochi lib. 1. c. 2. & in c. 19. de elect.* Mareſcotus *var. c. 45.* Hieronym. Garzia *tom. 2. polit. regul. tr. 9. diffic. 3. dub. 4.* ubi plures ex Moraliſtis cumulat.

T I T U L U S XXVIII.

De officio Vicarii.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *Norvicen. Epiſcopo, & G. Archid.*

AD audientiam noſtram pervenit, quod Ug. presbyter monachos de *b* Rameſcia, & Thomam clericum ſuum petendo vicariam *c* ſuam Eccleſiæ de Burnelia, a qua *d* xx. annis retroceſſit, in diverſis poſtea Eccleſiis *e* perſonatum adeptus, multipliciter vexare, ac fatigare præſumit. Quia igitur non eſt canonicum, ut qui curam animarum in diverſis habet Eccleſiis, vicarius fiat in alienis: d. v. per A ſ. præm. quat. rei veritate plenius inquiſita, ſi ita eſſe noveritis, prædictum presbyterum a petitione ſupradictæ vicariæ deſiſtere. ap. & oc. rem. diſtrictius compellatis, non obſtantibus litteris, ſi quas tacita *f* veritate per nuntium a nobis impetravit. Extirpari etenim debent, quæ de *g* avaritiæ radice procedunt, & canonum contraria ſunt rationi, vel ſanctioni.

N O T Æ.

a NOrvic.) Similiter legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* & poſt Concil. Later. ſub Alexandro III. *par. 30. cap. 5.* ex quibus codicibus ita reſtituo hanc deciſionem. De Eccleſia Norvicenſi aliqua adduxi *in c. ſi autem 9. de reſcriptis.*

b *Rameſcia.*) Legendum eſt, *Ramiſſia*; cœnobium enim hoc eſt Ordinis D. Benedicti, conſtructum ab Oſvaldo Eboracenſi Archiepiſcopo, ut teſtatur Vergilius *lib. 7. hiſtor. Angliæ, pag. 176.*

c *Vicariam ſuam Eccleſiæ.*) Ubi monachi habent Eccleſias parochiales ſibi ſubjectas, non poteſt aliquis eorum præfici, aut præponi curæ animarum, & Eccleſiæ adminiſtrationi; ſed clerici ſæculares, tamquam vicarii præficiendi ſunt, ex voluntate monachorum, & inſtitutione Epiſcopi, *c. 1. de capellis monac. c. monachi, de ſtatu monach.* Docent Boſq. *in notis ad Innoc. l. 1. epiſt. 7. & 138.* Juretus *ad epiſt. Ivonis*, Solorz. *t. 2. de jure Ind. lib. 3. c. 16. n. 35.* Trullen. *de Vicariis, c. 2.* unde in Eccleſia de Burnel, quæ ſubjecta erat monachis Benedictinis, clericus ſæcularis, ut Vicarius conſtituendus erat, qui fidelibus Sacramenta adminiſtraret.

d *XX. annis.*) Licet enim abſens, & non reſidens in proprio beneficio privari ipſo debeat, tamen ipſo jure illud non amittit, ſed monendus prius eſt, & per ſententiam beneficio privandus, *c. 2. c. ex tuæ, c. ult. de Clericis non reſiden. c. extirpandæ, §. quia vero, de preb.* plura tradunt Lotherius *de re benef. l. 3. q. 27.* Petrus Gregor. *l. 4. partit. tit. 7. cap. 4.* Hurtado *de reſid. t. 1. reſ. 2. fol. 156.* Unde licet in hac ſpecie per 20. annos Vicarius abeſſet; tamen quia neque monitus, neque ſententia privatus erat, ideo Vicariam adhuc retinebat.

e *Perſonatum.*) De perſonatu egi *in c. ad aures, de reſcriptis.*

f *Tacita veritate.*) Quæ litteræ ipſo jure nullæ ſunt ut probavi *in c. ſuper litteris, de reſcriptis.*

g *Avaritiæ.*) *Cap. avaritiæ, de preb.*

C A P U T II.

Idem a *Helienſi Epiſcopo.*

VEniens ad nos P. Rector Eccleſiæ de Geſtan ſua nobis inſinuatione propoſuit, quod ipſe Joanni de Feſcam, qui multos habet Eccleſiaſticos redditus, & vicarias in Eccleſiis pluribus, vicariam de Geſtan ſub annua trium *b* marcarum penſione conceſſit, cum redditus illius vicariæ quatuor marcas valeant annuatim. Licet autem in ipſius vicariæ conceſſione quædam decima fuiſſet excepta, nihilominus tamen memoratus Joannes Præfatum P. contra religionem fidei ſuæ, qua ſe contra conceſſionem ipſam promiſerat, aliquando non venturum, ſuper prædicta decima coram venerabili fratre noſtro Norvicenſi Epiſcopo per litteras noſtras traxit in cauſſam: & cum in prædicta cauſſa P. vincere non poſſet, ab alio judice pro ſua voluntate fecit eum citari. Quoniam ergo ſuſtineri nolumus, nec debemus, ut idem P. inhibita vexatione gravetur, Fraternitati tuæ, &c. quatenus partibus convocatis, diligentius inquiras veritatem: & ſi tibi conſtiterit, quod prædicta decima fuiſſet excepta, memoratum clericum ab impetitione præfati Joannis contradictione, & appellatione ceſſante auctoritate Apoſtolica fretus abſolvas. Si vero quicquam in detrimentum juris ipſius P. factum eſt, poſtquam iter arripuit ad noſtram præſentiam veniendi, id contradictione, & appellatione ceſſante corrigas, & ad ſtatum illum reducas, quo tempore aggreſſi itineris noſcitur extitiſſe. Ceterum ſi memoratus clericus in aliis Eccleſiis vicarias habeat, vel Eccleſiaſticos redditus, de quibus poſſit ſuſtentari, a vicaria præſcriptæ Eccleſiæ de Geſtan, confirmationis noſtræ litteris non obſtantibus, appellatione ceſſante removeas, & eamdem Eccleſiam reſtituere eidem P. non poſtponas, dummodo velit, & debeat in presbyterum ordinari, & per ſemetipſum in eadem Eccleſia Domino deſervire. Provideas autem attentius, ne in Epiſcopatu tuo patiaris quemlibet plures vicarias habere. Quia cum Vicarii teneatur Eccleſiis, & propriis perſonis deſervire, alienum eſt ab ordine juris, ut vicariam habeat quis præter unam.

N O T Æ.

HElienſi.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 3.* & poſt Concil. Later. *p. 39. capit. 6.* ſed utrobique diminute, cum tantum ultima verba hujus deciſionis compilarentur: conſultationem vero, & integram deciſionem ita reſtituo ex *d. Concil. Lateran. p. 49. c. 5.* De Eccleſia Helienſi egi *in c. poſtulaſti, de reſcriptis.*

b *Marcarum.*) De marcarum valore apud Anglos aliqua notavi *in c. cum pridem, de pactis.*

COMMENTARIUM.

1 *Concluſio traditur.* — EX his duabus Alexandri III. deciſionibus ſequens deducitur diſputanda aſſertio: *Nemo poteſt habere duas vicarias eodem tempore, vel unam ſimul cum alio beneficio curam animarum habente.* Ab ſpecie tantum probatur ex Clementina unica, *hoc tit.* & per argumentum probari poteſt ex omnibus illis juris canonici ſanctionibus, quibus prohibetur, & damnatur pluralitas beneficiorum, quas congerunt veſpertini Anteceſſores noſtri *in c. de multa 28. de preb.* ubi & nos plura cumulabimus. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti, & lib. 3. juris Eccleſ. c. 6. n. 22.* Rufiniacus *l. 3. conſtit. tit. 10. c. 10.* Ojeda *de incompatib. 1. par. cap. 15. per totum*, Joannes Nicolaus *de incompatibil. benef. n. 22.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. gloſ. 5. § 3. per tot.* Trullen *de officio parochi, tit. de Vicariis, dub. 2. & 4.* Cujacius *in rubrica de preb. & dignit.*

2 *Impugnatur tradita aſſertio.* — Sed adverſus hanc aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti juris conſideratione. Qui Vicariam habet, nihil proprium obtinet, cum omne jus ratione beneficii competens reſideat penes Rectorem: unde Vicarius jus perſonatus, vel beneficii ſibi vindicare non poteſt, *c. illud, de exceſſibus Prælat.* Gonzal. *ad regul. 8. ubi ſup. n. 23.* Vitalinis *in Clem. unica, de officio Vicarii* Trullen. *ubi ſupra, dub. 3.* Facit Caſſiodorus *l. 6. var. c. 3.* in illis verbis: „ Vices agentium mos eſt ſic judicum voluntatibus obe„ dire, ut ſuas non habeant dignitates: ſplendent mutuato „ lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago illis „ videtur veritatis, quæ proprii non habet jura fulgoris. “ Igitur ſi Vicarius veri Rectoris nihil proprium habet, poterit retinere aliud beneficium, etiam parochiale, ſimul cum Vicaria, aut duas ſimul Vicarias. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam qui beneficium parochiale habet jure proprio, poteſt aliud in commendam retinere, & in utraque Eccleſia curam animarum habere, *c. qui plures 32. 1. q. 2. cap. penult. & ult. 21. num. 1.* igitur ſi poteſt quis unam Eccleſiam proprio jure, aliam in Commendam retinere, poterit unam, ut propriam, aliam, ut vicariam poſſidere; cum nulla poſſit aſſignari commoda differentiæ ratio inter Vicariam, & Commendam. Fulcitur præterea hæc difficultas *ex Clem. unic. hoc tit.* ubi Clemens V. noviter in Concil. Viennenſi ſtatuit, ut de cetero prohibitio pluralitatis beneficiorum tot ſacris canonibus firmata extendatur ad Vicarias Eccleſiarum: igitur adhuc Alexandri temporibus hæc prohibitio circa Vicarias non dabatur, alias fruſtra, & ſuperfluo Clemens V. prædictam prohibitionis ampliationem noviter ſtatueret.

3 *Vicarius aliquando dicitur ſucceſſor.* — Hac dubitandi ratione non obſtante vera eſt ſupradicta aſſertio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, Vicarium eum dici, qui alterius vicem obit. Bechanus *de originibus linguæ Latinæ, verbo vices*: & aliquando Vicarius dicitur, qui alicui ſuccedit in dignitate, ſeu officio. Horatius *lib. 3. od. 13.* ibi:

Nec cultra placet longior annua,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius.

Ubi notarunt Lambinus, & Torrentius, Horatium innuere Getas ad colendos agros ſingulis annis alternative alios aliis ſuccedere. Marcus Tullius *orat. 5. in Verrem*, ibi: *Unum & quinquaginta aratores ita video dejectos, ut his ne vicarii quidem ſucceſſerint.* Quo in ſenſu Pontifex appellari ſolet D. Petri Vicarius, cum ejus ſucceſſor ſit; Vicarius autem Chriſti, ut *in c. ego Ludovicus, 63. diſt. c. nos quales 1. q. 1. c. quoties 1. q. 7.* Concil. Epheſinum *c. 16.* ubi Legatus Pontificis ita præfatur: „ D. Petri ordinarius ſucceſſor, & Vicarius ſanctus, „ beatiſſimuſque Papa, & Epiſcopus noſter Cæleſtinus, nos „ ſuos pro ſe quaſi Vicarios ad hanc Synodum miſit. *Concil.* „ *Ticinenſe ſub Joan. VIII.* in Eccleſia Romana Apoſtolorum „ viget ſucceſio, & Romani Pontifices Principum Apoſtolo„ rum Petri, & Pauli Vicarii ſunt. “ Arnulph. Lexovien. *in epiſt. ad Alex. de promotione ſua.* D. Cyprian. *epiſt. 67.* In his enim, & aliis auctoritatibus Pontifex appellatur Vicarius D. Petri, non quia eo inferior ſit, ſed quia ejus ſucceſſor exiſtit, ut late probant Suarez contra Regem Angliæ *l. 3. c. 12. & 15.* Duvallius *de Rom. Pontif. par. 2. q. 7.* Diana *par. 12. reſ. 1. miſcel.* licet hanc locutionem impropriam eſſe exiſtiment Paullus Lop. *de ſedium Patriarch. erectione, c. 15.* Caſtillo *in 4. ſent. t. 2. diſp. 15. q. 4. n. 23.* Baronius *t. 9. an. 740.* Bellarm. *lib. 2. de Rom. Pontif. c. 17.* Theoph. *tom. 10. in aurea corona R. P. verbo Vicarius Petri.*

Plerumque tamen Vicarius in utroque jure appellatur ille, qui alterius vices gerit, & in ejus locum ſuffectus eſt, *l. Vicarius, ff. de legationibus*, Cujacius *lib. 1. qq. Papin. in l. 5. ff. de officio Proconſulis.* Aliquando dicitur deputatus, ſeu commiſſarius, *c. inſinuante, de officio deleg. c. dilectus, de appellat. Clem. etſi principalis, de reſcriptis.* Aliquando Officialis, *c. quamquam, de uſuris in 6.* Zerda *in adverſ. c. 73. n. 18. c. ult. hoc tit. eod. lib.* Vices gerens, *c. 2. de regul. cap. 3. de inſtit.* Locumtenens, *c. præcipimus, 94. diſt.* Subſtitutus *Clem. 1. & 2. de hæreticis:* Suffectus, *l. 2. §. poſt hanc, de origine juris, c. quadam*, ibi: *Suffecti Conſules, diſt. 2.* In jure civili paſſim obvia eſt Vicariorum mentio, ſiquidem Præfecti, & alii Magiſtratus ſuos habebant Vicarios, per quos impediti poſſent ſuum munus adimplere, *l. 1. & per totum ff. de officio Vicarii, l. 1. Cod. de proximis ſacror. ſcrin. lib. 12. l. 3. Cod. Theod. de ſponſ.* juncta inſcriptione, *l. 3. eodem C. de famoſis libellis.* Pulchram Vicarii conſtituendi formam tradit Caſſiodor. *lib. 3. var. c. 16.* in hæc verba: „ Hinc eſt, quod præſenti tem„ pore in Gallias, nobis Deo auxiliante ſubjectas, Vicarium „ te Præfectorum noſtra mittit auctoritas: unde perpende, „ qualia de te videamur habere judicia, quando ad illos „ populos mittere regendos, quos noſtris laudibus ſpeciali„ ter credimus acquiſitos, chara eſt Principi gloria, & ne„ ceſſe eſt de illis amplius eſſe ſolicitum, unde ſibi trium„ phorum veniſſe ſentit augmentum, &c. “ 4 *Proprie dicitur alterius vices gerens.*

In jure etiam noſtro Pontificio non minus frequens eſt Vicariorum officium; nam ut ſummo gradu incipiamus, R. Pontifex eſt Vicarius Chriſti Domini, *c. quanto, c. inter, de transl. Epiſcopi, cap. ubi periculum, §. ceterum, de elect. in 6.* 5 *De variis Vicariis.*

Con-

BIBLIOTECA CENTRAL

Concil. Florent. in illis verbis: „ Definimus Pont. Romanum „ ſucceſſorem eſſe D. Petri Principis Apoſtolorum, & verum „ Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput.“ Pluribus illuſtrat Diana *d. p. 12. reſol. 1. miſcel.* Patriarchæ etiam, Archiepiſcopi, & Epiſcopi etiam dicuntur Vicarii Pontificis, ut probant Selva *de benef. 2. p. q. 1. n. 2.* Gonzal. *d. gloſſ. 5. §. 3. n. 6.* & ipſi alios Vicarios habent; vel natos, ut Archidiaconos, & Archipresbyteros, *c. 1. de off. Archid. c. ut ſingulæ, de officio Archipreſb.* vel datos, & a ſe conſtitutos, urbanos, vel foraneos, de quibus *in c. 2. de conſuet. lib. 6. c. penult. de novi operis nuntiat.* & alibi paſſim. Plura de illis Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg. 54.* Solorz. *t. 2. de jure Indiar. lib. 4.* Ferro Manrique *de prac. q. 52.* etiam Parochi, & plebani ſuos Vicarios habere ſolent, de quibus *in c. 1. 2. 3. 4. & fine, hoc tit.* Si enim illi neceſſariis cauſſis impediantur, quominus officiis ſuis poſſint intereſſe, Vicarios idoneos conſtituere valent, *c. extirpandæ, §. quia vero, de præb. c. pervenit, de appel. c. cum ex eo, de elect. in 6.* licet indiſtincte parochis conſtituere Vicarios jam prohibuerit Innoc. III. in Concilio generali, *cap. 32.*

6 *Ex quibus cauſſis Vicarii conſtituantur.* Vicarii conſtituuntur vel ad juriſdictionem exercendam, vel ad divina officia in Eccleſia celebranda. De primis agemus *in c. ſua, hoc tit.* de ſecundis nunc tractationem aggrediamur. Sciendum ergo eſt, ad divina miniſteria peragenda, & curam animarum exercendam, Vicarios conſtitui pluribus ex cauſſis. Prima, ſi monachi obtineant Eccleſias ſæculares; nam cum illi non poſſint ſacramenta parochianis adminiſtrare, debet Vicarius conſtitui præſentatione ipſorum, & inſtitutione Epiſcopi, *c. 1. de capellis monach.* ut ſupra probavi. Deinde quoties Eccleſia parochialis alteri Eccleſiæ, univerſitati, collegio, ſeu loco pio annexa, & unita reperitur, debet conſtitui Vicarius, *c. extirpandæ, §. quia vero, de præb.* Deinceps quoties ob numeroſum populum capella noviter conſtruitur, præficitur illi Vicarius perpetuus, *c. ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis.* Trident. *ſeſſ. 21. de reform. cap. 4.* Rurſus Vicarius conſtituitur, quando quis habet duas Eccleſias principaliter unitas: tunc enim cum Rector non poſſit utrique inſervire, Vicarium in una apponere debet, *c. 1. ne ſede vacante, c. & temporis 16. q. 1.* Ulterius quoties variis negotiis Rector ipſe ita tenetur, & impeditur, ut inſervire non poſſit, veluti ob peregrinationem in terram ſanctam, aut ad limina Apoſtolorum, *c. ult. de voto,* ob abſentiam cauſſa ſtudiorum cum licentia Epiſcopi, *c. relatum, de clericis non reſid.* propter adverſam valetudinem, *c. 1. de clerico ægrot.* ob diverſitatem idiomatis in plebe, *c. quoniam 5. de officio ordin.* concionis habendæ gratia ad populum, *c. inter cetera, eod. tit. c. quod Dei 5. de ſtatu monach.* cum Rector Eccleſiæ removetur a loco, *c. ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis,* vel in monaſterium ſe transfert, & in probationis anno verſatur, *c. de monachis, de præb.* aut majus divini cultus incrementum ſperatur, *c. illud 15. c. nihil 7. q. 1.* Proſequuntur alios caſus Gonzalez *d. §. 3.* Azor. *2. par. inſtit. lib. 3. c. 1. in fin.*

7 *Vicarii alii perpetui, temporales alii.* Ex his Vicariis tot ex cauſſis conſtituendis tres priores perpetui ſunt, & in perpetuum eliguntur cum debita redditum aſſignatione, ad congruam ſuſtentationem, *d. cap. extirpandæ, §. quia:* ceteri vero tantum ad tempus conſtituuntur, unde inter eos plures, magnæque differentiæ verſantur. Prima, quod Vicarii perpetui tantum inſtitui, & deſtitui ab Epiſcopo poſſunt, nec ſine ejus auctoritate curæ animarum præponi, aut ab ea dejici valent, *d. c. 1. de capellis, monach. c. 3. hoc tit.* temporales vero tantum voluntate, & ex nutu conſtituentis eliguntur, & pendent. Trull. *d. tr. de Vicarii, dub. 5.* Secunda, quia perpetui Vicarii obtinent Vicariam, & ipſa Vicaria eſt beneficium Eccleſiaſticum, *c. poſtulaſti, de reſcriptis, c. ad hæc, hoc tit. c. perpetuus, de fide inſtrum. Clem. unica, hoc tit.* & habent verum titulum, *d. c. ad hæc,* Vicaria autem temporalis non eſt beneficium, *c. pervenit, el 2. de appell. c. cum ex eo, de elect. in 6. extrav. execrabilis,* ubi Gloſſa *v. Temporalis, de præb.* Unde ad Titulum Vicariæ temporalis non poteſt quis ſacris ordinibus initiari, nec in ea habet locum regula S. Cancellariæ. Nec alia in Vicaria temporali militant, quæ procedunt in Vicariis perpetuis, ut docet Trullen. *de Vicar. dub. 7.*

8 *Ratio decidendi.* Ex his provenit vera ratio decidendi hujus textus; nam cum Vicaria perpetua ſit beneficium, ut ſupra probavi, & nemo poſſit duo beneficia curata ſimul obtinere, *c. ad hæc, c. de multa,* cum vulgatis, *de præb.* ideo nequit obtineri Vicaria cum beneficio parochiali, aut duplex Vicaria: quæ enim de beneficiis in jure noſtro conſtituta ſunt, in Vicariis perpetuis æqualiter procedunt: unde ſicut litteræ impetratæ a beneficium habente, nullæ ſunt ipſo jure, *c. ad aures, c. ſi proponente 44. de reſcriptis;* ita & impetratæ ab obtinente Vicariam, *c. poſtulaſti, de reſcriptis:* & ſicut filius non poteſt obtinere beneficium in Eccleſia, ubi pater illud poſſidet; ita nec Vicariam perpetuam, *c. conſtitutus 8. c. ad extirpandas 11. c. Michael, de filiis presbyter.* Et ſicut beneficium obtinens ad ejus titulum rite ordinatur, *c. 2. c. cum ſecundum, de præb.* ita & retinens Vicariam perpetuam, ut ex Cæſare, Selva, & aliis reſolvit Barb. *lib. 3. juris Eccl. cap. 6. num. 24.* Et ſicut obtinens beneficium parochiale tenetur intra annum in presbyterum ordinari, *c. licet, de elect. in 6.* ita & obtinens Vicariam tenetur gradus ſacros ſuſcipere, *cap. ultim. hoc titul.* Tandemque omnia, quæ dicuntur de beneficiis parochialibus, procedunt etiam in Vicariis perpetuis, ut late docent Rebuffus *de vicariis perpetuis, in praxi n. 14.* Ojeda *de incompatibil. par. 1. c. 14.* Gonzalez *dict. § 3. num. 21.* Garcia *de incompatib. cap. 2. n. 93.* nam hujuſmodi vicarii habent beneficium curatum; unde ſicut nemo valet obtinere duo beneficia curata, ita nec duas Vicarias.

9 *Diſſolvitur dubitandi ratio.* Nec refragatur difficultas ſupra pro dubitandi ratione adducta, quæ enim in ea expendebamus, procedunt, & locum habent in Vicaria temporali, quæ proprium jus Vicario non tribuit, nec titulum beneficii; tradita vero aſſertio habet locum in Vicaria perpetua, quæ beneficium eſt. Nec primum argumentum difficultatis adverſatur; cui eodem etiam modo ſatisfaciendum eſt; commenda enim non eſt beneficium, *c. qui plene 321. q. 1.* Ojeda *ubi ſup. 2. par. c. 4.* nec commendatarius eſt vere Rector, ſed tantum cuſtos, *c. conſtitutum 222. 7. q. 1.* Unde mirum non eſt, ut poſſit quis beneficium ſimul & commendam obtinere, non autem beneficium, & Vicariam perpetuam. Nec ultimum argumentum obſtat, deductum ex dicta Clement. unica, *hoc tit.* nam licet Alexandri III. temporibus jam vigeret prohibitio, ne quis Vicariam ſimul, & beneficium parochiale poſſit obtinere; tamen per aſſecutionem Vicariæ perpetuæ parochus ipſo jure non privabatur beneficio, aut e contra per aſſecutionem beneficii non privabatur Vicaria: quare ut hæc pœna privationis ipſo jure contingens jam in obtinentibus duo beneficia, ſtatuta *in c. de multa, de præb.* protraheretur, & locum haberet in Vicariis, neceſſaria fuit conſtitutio Concilii Viennenſis, non ut prædicta prohibitio induceretur, ſed ut pœna extenderetur ad Vicarias.

C A P U T III.

Idem a *Vvintonienſi Epiſcopo*.

AD *b* hæc, ſi perſona alicujus Eccleſiæ Vicario, quem in eadem Eccleſia inſtituit, de aſſenſu, & auctoritate diœceſani *c* Epiſcopi certam aſſignaverit portionem, is qui *d* perſona illa defuncta in perſonatum illius ſubſtituitur Eccleſiæ, non poteſt ab Eccleſia eumdem Vicarium *e* removere, vel aſſignatam ſibi minuere *f* portionem, niſi aliquid committat, propter quod per judicem in Vicaria, vel beneficio ſit condemnandus.

N O T Æ.

1 a *Vvintonienſi.*) Ita etiam habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 4.* & poſt Conc. Lateran. ſub Alexandro III. *par. 7. c. 8.* De Eccleſia Vvintonienſi aliqua prænotavi *in c. ceterum 3. de reſcriptis.*

2 b *Ad hæc.*) Principium hujus textus reperitur, ni fallor, *in c. quamvis, de officio deleg.* qui textus ejuſdem Pontificis eſt, & eidem Epiſcopo in eo reſcribitur.

3 c *Epiſcopi.*) Ejus enim auctoritate inſtitui, & deſtitui debet Vicarius perpetuus, ut dixi ſuperiori commentario.

4 d *Perſona.*) Ideſt Parochus, ſeu clericus major ejuſdem Eccleſiæ, ut notavi *in c. ad aures 8. de reſcriptis.*

5 e *Removere.*) Quia cum Vicaria detur in titulum perpetuum beneficii, non poteſt removeri Vicarius mortuo Rectore, ſine cauſſa, *cap. 2. de ſupplend. neglig.* Gonzalez *d. §. 3. n. 12.* tamen inde infertur, hujuſmodi Vicarium eſſe Rectorem; tantum enim Vicarius, Presbyterve Rectoris appellatur, *cap. ultim. hoc tit. cap. extirpandæ, §. quia vero, de præb. c. ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis,* Trullench *d. tract. de Vicariis, c. ult. dub. 3.*

6 f *Portionem.*) Quæ aſſignari debet Vicario, *cap. extirpandæ, §. quia vero, c. de monachis, de præb. Clem. 1. de jurepatr.* alias habet jus ad decimas, & fructus beneficii uſque ad congruam ſuſtentationem. Suarez *de relig. lib. 3 cap. 24. n. 4.* ſed ſi aſſignata illi portio ſit, nullum jus habet ad fructus beneficii. Trullen. *de Vicariis, dicto c. ult. dub. 4.*

C A P U T IV.

Idem a *Norvicenſi Epiſcopo*,

CLericos in presbyteratu, vel in aliis *b* inferioribus ordinibus conſtitutos in Vicariis Eccleſiarum, quas adepti ſunt, ſubſtituere non permittas; cum id ſit ſatis abſonum, & abſurdum, & rationi contrarium.

N C-

BIBLIOTECA CENTRAL

N O T Æ.

1 a *Norvicenſi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 5.* & poſt Concilium Later. *par. 39. c. 3. & in c. ſignificaſti, de offic. delegat. & in cap. illud 6. de exceſſibus Prælat.* ubi extant aliæ partes hujus deciſionis. De Eccleſia Norvicenſi aliqua adduxi *in cap. ſi autem 9. de reſcriptis.*

2 b *Inferioribus.*) Qui tenentur infra annum ſuſcipere gradum presbyteratus. *Clement. unica, hoc tit.* plura adduxi *in cap. cum in cunctis, §. inferiora, de election.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu aperte conſtat, Vicarios perpetuos alios Vicarios ſubſtituere poſſe, quod contrarium videtur deciſioni textus *in c. 1. hoc tit. l. 6.* ubi ſupponitur, Vicarium Epiſcopi alium Vicarium deſignare non poſſe. Pro cujus conciliatione dicendum eſt, verum eſſe, Vicarios perpetuos, alios æque perpetuos ſubſtituere non poſſe, temporales tamen ad tempus breve deſignare valere, quo caſu exaudiendus eſt textus *in d. c. 1. hoc tit.* Docent Pet. Greg. *lib. 5. partit. tit. 2. c. 3.* Azor. *t. 2. inſt. l. 3. c. 6. q. 30.* Trullen. *de Vicariis, d. c. ult. dub. 4. in fine.* 3

C A P U T V.

Innocentius III. Abbati a *S. Eugenii, & Plebano S. Petri.*

SUa nobis. *Et infra: b* Nos igitur Vicarii litteras æſtimantes per *c* ſurreptionem obtentas, quoniam juriſdictio Vicarii, quem R. Pontifex in urbe relinquit, non extenditur extra illam, niſi ei ſpecialiter ſit conceſſum: præſertim cum ipſe moretur in ſua provincia ſpeciali, videlicet inter *d* Capuanam provinciam, & Piſanam: mandamus quatenus quicquid occaſione litterarum illarum actum eſt, in irritum revocetis.

N O T Æ.

1 a *S. Eugenii.*) In tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* etiam ita legitur. Monaſterium autem S. Eugenii eſt ordinis D. Benedicti, in Diœceſi Lucanenſi, ut refert Tambur. *in ſerie Abbatiarum, v. Lucanenſe.*

b *Et infra.*) Integra hujus textus nec reperitur in epiſtolis Innoc. III. a Sirleto emendatis, nec in epiſtolis editis a Boſqueto, nec in ulla ex collectionibus extat; ejus tamen caſum recte referunt Gloſſa, & Abbas *in præſenti.*

c *Surreptionem.*) Surreptio, & obreptio quando reſcripta juſtitiæ, aut gratiæ ipſo jure vitient, late diſputavi *in c. ſuper litteris, 20. de reſcriptis.*

d *Capuam.*) De civitatibus Capuana, & Piſana, earumque ſitu, aliqua adduxi *in c. cum inter 18. de electione, c. 8. de temporibus ordin.*

COMMENTARIUM.

2 *Concluſio refertur, & probatur.* EX hoc fragmento Innocentii III. epiſtolæ deducunt communiter repetentes, Vicarium R. Pontificis in urbe, non extra eam, juriſdictionem obtinere. Et poſt eos ita docuerunt Petrus Greg. *lib. 5. par. tit. tit. 2. c. 3.* Azor *lib. 5. inſtit. 2. par. c. 39.*

3 *Impugnatur tradita aſſertio.* Sed hæc communis aſſertio difficilem patitur dubitandi rationem; nam Vicarius, quoad juriſdictionem omnia ea poteſt, quæ ſpectant ad juriſdictionem illius, cujus vices gerit, *c. fin. 93. diſt. c. 1. 94. diſt. l. 1. Cod. de officio ejus, qui vices.* Cicero *6. in Verrem. Succedam ego Vicarius tuo muneri.* Plura Scipio Gentilis *l. 2. de juriſd. c. 9.* ſed nemo ambigit, R. Pontificem extra Urbem per univerſum orbem juriſdictionem habere: igitur & ejus Vicarius etiam extra Urbem eam exercere valebit. Accedit, nam juriſdictio Vicarii Pontificis ſucceſſit, & ſuffecta eſt in locum Præfecti urbis, ut colligitur ex Caſſiodoro *l. 6. var. c. 15.* in illis verbis: „ Tu autem Vicarius diceris, & tua „ privilegia non relinquis, quando propria eſt juriſdictio, „ quæ datur a Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam „ portionem, partes apud te ſub Prætoriana advocatione confligunt, vice ſacra ſententiam dicis, &c.“ Sed juriſdictio Præfecti Urbis extendebatur extra urbem uſque ad centeſimum lapidem, *l. 1. §. initio, ff. de officio Præfecti urbis:* igitur & Vicarii Pontificis juriſdictio extendi debet. Accedit ſecundo, nam conceſſa juriſdictione civitatis, aut caſtri, conceſſa intelligitur juriſdictio in omni territorio, ut probant Bobadilla *l. 2. polit. c. 16. n. 90.* pluribus relatis D. Franciſcus de Amaya *in l. d. C. de bonis vacant. n. 20.* Unde interdicta civitate, ſuburbia etiam interdicto ſubjecta cenſentur, *c. ſi civitas, de ſent. excom. l. 6.* docet Petr. Greg. *l. 4. tit. 17. c. 4.* Steph. Coſta *in d. c. ſi civitas* Morinus *l. 1. exercit. c. 30.* Gibal. *de cenſuris, diſq. 4. q. 6.* igitur ſi Vicarius Pontificis habet juriſdictionem intra Urbem, etiam extra eam habere debet.

4 *De vicariorum juriſdictione.* Qua dubitandi ratione minime obſtante, vera eſt præſens deciſio, in qua agitur de juriſdictione vicarii; in omnibus autem aliis agitur de officio vicarii quoad Eccleſiaſtica miniſteria. Et ut juriſdictionem vicariorum agnoſcamus, ſciendum eſt, valde controverſum eſſe apud juris Interpretes, utrum vicarii Epiſcoporum, ſeu aliorum, & Proprætores vicariam, an delegatam obtineant juriſdictionem? In qua quæſtione ipſos delegatam juriſdictionem habere, poſt Gloſſam *in c. ut debitus honor, verbo Abſq; de appell. & in c. 2. verbo ſtatuitur, ne Prælati vices ſuas,* tenuerunt Gofredus *in ſumm. hoc noſtro tit. 2.* Alex. *in rubrica de officio ordin. n. 24.* Germon. *l. 1. animad. c. 26. & de indultis Card. §. ibi, n. 43.* Petrus Greg. *in c. conquerente, c. 11. n. 22. de officio ordin.* Nituntur ſequentibus fundamentis. Primo, qui vice alterius fungitur, nihil proprium habet, ut ſupra *in c. 1. hoc tit.* dixit: ſed Vicarii, & Propretores vices Epiſcoporum & Prætorum obtinent, *c. Romana, de appell. in 6.* ergo quia delegatam, non ordinariam habent juriſdictionem: præcipue, nam Epiſcopos, & Prætores ordinariam juriſdictionem habere, certum eſt, *c. 1. cum Epiſcopi 7 de off. ordin.* ſed ſi eorum Vicarii haberent ordinariam juriſdictionem, ſequeretur unam, eamdemque in ſolidum penes duos eſſe, quod abſurdum eſt, cum dominium cujuslibet rei (a quo facile ad juriſdictionem arguitur, *l. qui furere 10 ff. de ſtatu hom.* Gloſſa verbo *Jurgia, in c. perlectis, 25. diſt. 1.*) penes duos in ſolidum eſſe non poſſit, *l. 3. §. ex contrario, ff. de acquir. poſſ. l. ſicut certo, §. ſi duobus, ff. commodati.* Secundo ſi juriſdictio Vicariorum, & Proprætorum eſſet ordinaria, haberet effectus ordinariæ, videlicet eſſet perpetua, nec morte, aut revocatione Epiſcopi, aut Prætoris finiretur, ut non finitur ordinaria, *c. Legatus 2. de officio Legati in 6. l. more 5. ff. de juriſd.* plura Petr. Greg. *l. 46 ſyntag. c. 32.* Menochius *l. 1. de arbitr. c. 69.* Morla *ubi ſupra, n. 104.* Barboſa *in l. quia tale 14. n. 84. ff. ſoluto matrim.* ſed Vicariorum juriſdictio finitur morte Epiſcopi, *cap. 1. de officio Vicarii, in 6.* Gloſſa, & omnes *in Clem. 2. de reſcriptis,* Sbrozius *de officio Vicarii lib. 3. qu. 44.* ergo quia eſt juriſdictio delegata, non ordinaria, ut late probant Marcus Anton. *lib. 2. inſtit. tit. 8. n. 135.* Sanch. *lib. 3. de matrim. diſp. 30. num. 11.* Hugol. *de poteſt. Epiſcopi, lib. 1. q. 4. §. 6. n. 4.* Facit etiam quod Vicarii non poſſunt aliis poteſtatem Vicarii committere, *c. clericos,* ubi Hoſtienſis, *de off. Vicarii,* quod delegatos potius, quam ordinarios ſignificat, *l. 1. ff. de off. ejus:* nec poſſunt beneficia vacantia conferre, ut Epiſcopus poteſt, *cap. ultim. de off. Vicarii, lib. 6.* Germonius *ubi ſupra, n. 85.* ergo non ordinariam, ſed delegatam juriſdictionem habent.

Contrariam ſententiam, videlicet vicarios Epiſcoporum, & Proprætores juriſdictionem ordinariam obtinere, defendunt quamplures ex antiquioribus, quos referunt, & ſequuntur Sanch. *l. 3. de matrim. diſp. 29. q. 1.* Garcia *de benef. 5. par. 8. n. 21.* Narbona *de appell. a Vicario, n. 28.* Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg. 54. num. 26. & ad tit. de off. Vicarii in 6.* Molina *de prim. lib. 1. c. 25. num. 13.* Baſilius *de matrim. l. 5. c. 11. n. 1.* Solorz. *de jure Indiar. tom. 2. l. 3. c. 8. n. 3.* Quorum ſententia probatur ex eo, quia Vicarii juriſdictionem habent, non ratione delegationis, ſed officii, quod obtinent, *c. 2.* ibi: *Per commiſſionem officii, hoc tit. in 6. c. cum nullus,* ibi: *Ipſius officium, de tempor. ordin. eod. lib.* & ſic non ab Epiſcopo, vel a Prætore, qui eos eligunt, ſed a lege accipiunt juriſdictionem. Covar. *pract. q. n. 4.* ſed cum juriſdictio datur a lege cum diſtrictu, eſt ordinaria, *l. 1. ff. de juriſd.* igitur juriſdictio Vicariorum & Proprætorum potius ordinaria, quam delegata eſt; acquirunt enim eam immediatione virtutis a lege; licet eam accipiant immediatione ſuppoſiti ab Epiſcopo, vel Prætore, ut contingit in humana generatione: nam vitam accipimus a Deo immediatione virtutis; a generante vero immediatione ſuppoſiti: quare dixit Philoſophus: Deus (ſeu ut alii vertunt) ſol, & homo generant hominem; ille immediatione virtutis; iſte immediatione ſuppoſiti. Videndus Vargas *de juriſd. Epiſcop. ad medium.* Idem contingit in Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, qui immediatione virtutis accipiunt juriſdictionem a Pontifice; immediatione vero ſuppoſiti ab Inquiſitore Generali, qui eos eligit. Hac ſententia retenta non obſtant contraria fundamenta. Non primum: nam licet Vicarii aliorum vices gerant, & ſuſtineant; non tamen inde recte infertur, eos non ordinariam, ſed delegatam exercere juriſdictionem, quod ſequenti exemplo aperte probatur: nam Legati, tam miſſi, quam nati, Pontificis vices gerunt, *c. 1. de officio Legati;* & tamen ordinariam obtinent juriſdictionem, *d. c. 1. & per totum de officio Legati.* Similiter Archidiaconi vices Epiſcoporum gerunt; & tamen non delegatam; ſed ordinariam exercent juriſdictionem, *c. ult. eod. tit.* ubi probavi: igitur licet Vicarii aliorum vices gerant, non ideo delegatam obtinent juriſdictionem, ſed ordinariam. Nec obſtat quod dicebamus, Epiſcopum, & ejus Vicarium eamdem exercere juriſdictionem, & per conſequens unam ordinariam, aliam vero ab eo delegatam obtinere debere; nam non eodem modo obtinent juriſdictionem Epiſcopus, & ejus Vicarius; nam Epiſcopi, & Prætores eam exercent principaliter; Vicarii vero acceſſorie, & dependenter: unde provenit, ut eorum juriſdictio finiatur morte, aut renuntiatione ipſius Prætoris, ſeu Epiſcopi; quia licet Vicarii, & Proprætoris juriſdictio ordinaria ſit, & immediate a lege proveniat; tamen ab illis exercetur media voluntate Epiſcopi, aut Prætoris; unde ea ceſſante per mortem, aut revocationem, neceſſario debet ceſſare ipſa juriſdictio. Nec aliud augmentum difficultatis; 5 *Contraria ſententia defenditur.*

tatis, refragatur; nam licet Vicarius non poſſit alium Vicarium conſtituere, & ſic Vicarius, licet ordinarius, alium æqualiter ordinarium conſtituere non poſſit, hoc non obſtat; neque enim ex natura juriſdictionis ordinariæ provenit collatio beneficiorum: quare Vicarius etiamſi ſit ordinarius, eam non habet. Ita adductis fundamentis, & aliis ſatisfaciunt Sanch. & Narb. *ubi ſup.* qui obſervant hanc ſententiam veram eſſe in Vicariis generalibus, non vero in foraneis, ſeu conſtitutis in locis privatis ad negotia particularia; in illis enim vera eſt contraria ſententia; videl. Vicarios juriſdictionem delegatam habere. Quatenus autem Vicarius Epiſcopi præcedat Archidiaconum in choro, explicat Valenz. *conſil.* 101. *tom.* 2.

6 De Vicario Pontificis. Hæc procedunt in Vicariis Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum; ſed ut ad præſentem deciſionem proprius accedamus, ſciendum eſt, R. Pontificem habere vicarium in ipſa civitate, cui committit ſuam juriſdictionem in his, quæ intra urbem ſunt, & extra uſque ad 40. milliaria, habetque juriſdictionem tamquam Epiſcopus, & alia ſpecialia exercet ex conceſſionibus R. Pontificum, ut docent Veſtrius *l.* 2. *praxis*, *c.* 16. *de Vicario urbis*, Flaminius *de reſig. l.* 7. *c.* 14. Petr. Greg. *l.* 47. *ſyntagm. c.* 35. *n.* 8. Cohelius *in notitia Cardin. c.* 55. Hujus Vicarii mentio extat in epigraphe textus *in c. dilectus*, *de exceſſibus Prælat. c. Is cui*, *de elect. l.* 6. & licet olim Epiſcopi Torcilanenſis, Burgi ſancti Sepulchri, & ſimiles eligerentur in Vicarios, ut ex bullis Pauli II. & III. probat Cochelius *ubi ſup.* hodie tamen tantum Romanæ Eccleſiæ Cardinalis eligitur in Vicarium. Cohelius *d. c.* 55. Barboſa *in ſumma verbo Vicarius*. Etiam ſolet Rom. Pontifex, dum ab urbe diſcedit, Vicarium in urbe, ſeu Legatum relinquere, de quo agitur in præſenti textu; illeque habet juriſdictionem tantum intra urbem, niſi aliter eam R. Pontifex demandaverit, ut ex Bulla Clementis VIII. probat Cohelius *ubi ſup.* qui recenſet, & refert catalogum Cardinalium, qui hujuſmodi officium obtinuerunt, & alia ſpecialia, quæ ad Vicarii Pontificis officium ſpectant.

7 Ratio decidendi. Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum; nam cum Vicarius Pontificis juriſdictionem, quam exercet in urbe, habeat ex delegatione, & commiſſione R. Pontificis, debet juxta formam ipſius delegationis eam exercere, *c. cum dilecta*, *de reſcriptis*, *c. porro*, *de privil.* Unde cum Vicarius a Pontifice deſignatus, dum ipſe extra Urbem proficiſcitur, tantum conſtituatur ut intra urbem juriſdictionem exerceat, recte deciditur in præſenti, Vicarium ob Innocentio III. deſignatum non potuiſſe extra urbem jus dicere, ſeu juriſdictionem exercere.

8 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione adducta; nam quod in ea expendebamus, verum eſt, & locum habet regulariter in Vicariis abſolute conſtitutis, quibus Judex commiſit vices ſuas, qui regulariter poſſunt omnia ea exercere, quæ judex, qui vices conceſſit, obire valet. Nec quod dicebamus de Præfecto urbis, in cujus locum ſucceſſit Vicarius Pontificis, adverſatur; quia licet admittamus, Vicarium Pontificis ſuffectum fuiſſe in locum Præfecti urbis; non tamen in omnibus ſubrogatus fuit: quare non per omnia exæquatur officium R. Pontificis juriſdictioni Præfecti Urbis. Nec aliud augmentum ipſius difficultatis, deductum *ex d. c. ſi civitas*; refragatur; quia textus ille procedit, cum ille, qui habet juriſdictionem intra, & extra urbem, civitatem ſuppoſuit interdicto; tunc enim non ſolum ipſa civitas, verum & ipſius ſuburbia interdicta cenſentur: at vero in ſpecie præſentis textus Vicarius Pontificis tantum intra urbem, non extra, juriſdictionem obtinebat.

C A P U T VI.

Honorius III. a *Epiſcopo Vvigor.*

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod quidam in Eccleſiis, quibus *b* perpetuas obtinent vicarias, debitam reſidentiam facere, ac in presbyteros promoveri contemnunt. Nolentes igitur abuſum hujuſmodi, ſicuti nec debemus, æquanimiter ſuſtinere, f. t. m. quatenus perpetuos Vicarios, ut in Eccleſiis, in quibus Vicarias obtinent, *c* reſideant, ut tenentur, & ſe in *d* presbyteros, ut eorum cura exigit, faciant promoveri, per ſubtractionem proventuum Vicariarum ipſorum, app. rem. compellas.

N O T Æ.

a *Vvigorn.*) De hac Eccleſia aliqua notavi *in cap. notaſti* 9. *de electione*. Textum hunc ex quinta collectione Honorii III. edita ab Innocentio Cironio ita reſtituo.

b *Perpetuos.*) De quibus Vicariis egi *in c.* 1. *hoc tit.*

c *Reſident.*) Ut alii, qui beneficia obtinent in titulum, juxta textum *in c. fraternitati*, *de clericis non reſid.* ubi præſentem textus partem illuſtravimus.

d *In presbyteros.*) Tamquam beneficium parochiale habentes, *c. cum in cunctis*, §. *inferiora*, *de elect.* ubi commentarium hujus textus reperies.

T I T U L U S XXIX.

De officio, & poteſtate Judicis delegati.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *Ludon. Epiſcopo.*

QUia *b* quæſitum eſt a nobis ex parte tua, quid faciendum ſit de *c* Poteſtatibus, quæ cum præcipimus alicui *d* juſtitiam exhiberi, de his, quos diligunt, aut tueri volunt, minis, *e* aut terroribus ſuis conquerentes, ſilere compellunt, & ſic mandatum noſtrum eluditur. Id tibi reſpondemus, *f* quod ſicut agentes, *g* & conſentientes pari pœna Scripturæ teſtimonio puniuntur: ſic tam eos, qui trahuntur in *h* cauſſam, quam principales eorum fautores, ſi eos manifeſte cognoveris juſtitiam impedire cenſura eccleſiaſtica *i* poteris coercere.

N O T Æ.

1 a *Ludon.*) Ita legendum eſt, ut etiam legitur poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. *p.* 7. *c.* & in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. De Eccleſia autem Lundonienſi in Anglia, vulgo *Londres* dicta, plura adduxi *in c. cum olim* 6. *de conſuetudine*, ubi notavi, Epiſcopo Lundon. plures, variaſque cauſſas noſtrum Alex. delegaſſe quod aperte conſtat *ex c.* 3. *c. cauſam* 17. *hoc tit. c.* 3. *de dolo & contumacia*, *c.* 4. *de reſt. ſpol. c. cauſa*, *qui filii ſint legitimi*, & aliis pluribus: unde ipſe conſuluit frequenter Alex. III. præcipue, an liceret aliquas ex his cauſis aliis ſubdelegare, *c.* 3. *hoc tit. c.* 1. *hoc tit. in* 1. *collect.* ubi ita illi reſcribit Alexander: „ Cum tibi ſit de benignitate Sedis Apoſtolicæ in„ dultum, ut cauſas, quas de mandato noſtro ſuſcipis ter„ minandas, liceat tibi perſonis aliis, uni, vel pluribus de„ legare; ſed ab his, quibus cauſa per te fuerit commiſſa, „ fas ſit litigantibus appellare; & ſi eadem cauſa tibi fuerit „ a nobis commiſſa ap. rem. accidit interdum, ſicut tu aſſe„ ris, quod cauſam, quam tibi commiſimus ap. poſtpoſita „ terminandam, aliorum experientiæ committis audiendam, „ & appellationem alter litigantium ad tuam, alter ad no„ ſtram audientiam interponat. Conſult. t. t. reſpondemus, „ quod ei appellationi, quæ ad nos interponitur, eſt omni„ no deferendum, licet fuerit ap. remota commiſſa.

2 b *Quæſitum eſt.*) Frequenter enim judices delegati ſuper negotiis, & cauſis ſibi commiſſis conſulunt ipſos delegantes, *leg. ſolent* 6. §. *legati*, *ff. de officio Proconſulis*, ſicut Magiſtratus Principes, a quibus deſignati ſunt, *l.* 1. *ff. de appel. l.* 1. *ff. de ventre inſpiciendo*, *l. non diſtinguemus* 32. §. *cum quid*, *de reſcrip. l. verum* 11. §. *ex facto*, *ff. de minoribus*, *l. licet* 77. *de legat.* 1. *l. licet* 23. *de uſufructu legato*. Plura congerunt Briſſonius *de formulis lib.* 3. *p.* 339. Donellus *l.* 1. *comment. c.* 9. Cujacius *ad Digeſta*, *in l. licet* 23. *ff. de uſufructu legato*.

3 c *Poteſtatibus.*) Poteſtatis verbum varias habet acceptiones, *l. poteſtatis*, ubi plura congerunt Gentilis & Fornerius, *ff. de V.S.* Briſſonius, Calvinus, & alii Lexicographi *verbo Poteſtas*: in præſenti accipitur pro Magiſtratibus populi, ſeu civitatis, ut plerumque ſumitur in utroque jure, & apud bonæ notæ Interpretes, *c. qui reſiſtit* 97. *c. fin. de judiciis*, *c. omnis anima*, *de cenſibus*, *c. per veſtras*, *de donat. inter*, *c. cum inter*, *c. ex parte*, *de conſuetudine*, *c. quia nos*, §. 1. *de homicidio*, *l.* 1. *ff. quod quiſque juris*, *l. ult. ff. quod metus cauſa*, Ammian. Marcell. *l.* 30. *Ære gravi mercati publicas poteſtates*. Svetonius *in Julio*, *c.* 20. *Quoad poteſtatem abiret*. Plinius *l.* 29. *c.* 4. *Mites fuere domines, poteſtateſq; exorabiles*. Sidonius *l.* 1. *epiſt.* 8. *Vigilant fures, dormiunt poteſtates*. Salvianus *l.* 1. *de provid. Dives poteſtas pauperum facit eſſe Rempublicam*. Ubi Rhiterurſius *pag.* 10.

d *Juſtitiam exhiberi.*) Clauſula hæc uſitatiſſima eſt in reſcriptis Apoſtolicis, *c.* 1. *&* 2. *de mutuis petitionibus*, *c. inter* 8. *de majorit. & obed. c. licet* 10. *c. ex tenore* 11. *c. ex parte* 15. *de foro compet. c. qualiter* 17. *de judiciis*, *c. cum veniſſent*, *de teſtibus*, cujus clauſulæ varios effectus referunt in præſenti Barboſa *num.* 7. Decius *n.* 2. Berojus *n.* 9. Velaſco *de jure emphyt. q.* 6. *n.* 15. Barboſa *de clauſulis*, *clauſula* 76.

e *Mi-*

5 e *Minis, ac terroribus.*) Ex his verbis deducunt in præſenti Abbas *n.* 3. Berojus *n.* 11. induci metum juſtum cadentem in conſtantem virum ex minis & terroribus Principis; ſed non ſatis commode, & extra rem: videndi tamen ſunt Sanchez *l.* 4. *de matrim. diſp.* 6. *n.* 4. Baſilius *l.* 4. *c.* 5. *n.* 6. Barboſa *l.* 1. *voto* 1. Feloaga *in c.* 1. *de his quæ vi*.

6 f *Quod ſicut.*) Non ſunt hæc verba referenda ad rationem deciſivam hujus textus, quare videlicet impedientes juriſdictionem delegatam, poſſunt coerceri ab ipſo judice delegato: ſed referri debent ad eam partem, ubi Pontifex exæquat eos qui juriſdictionem impediunt, cum illis, qui nominatim deſignati ſunt in ipſo reſcripto, ut ſicut ipſi expreſſi in reſcripto impedientes juriſdictionem, poſſunt per judicem delegatum puniri; ita ſimiliter eorum fautores & poteſtates impediendo uſum juriſdictionis delegatæ, valent coerceri per ipſum delegatum.

7 g *Agentes & conſentientes.*) Huic D. Pauli teſtimonio *in ep.* 1. *ad Rom. verſ.* 12. conſentiunt, & adſtipulantur textus *in c. facientes* 3. 86. *diſt. c. noſtrum* 10. *q.* 1. *c. ſicut* 6. §. *illi autem*, *de homicidio*, *c. felicis* 5. §. *cum autem*, *verſ. Illud*, *de pœnis in* 6. *Clement.* 1. *eod. tit. l.* 1. §. *pœna* 2. *C. de raptu virgin. leg.* 14. §. *œconomos*, ubi Gloſſa, *C. de ſacroſ. Eccleſ. c. error*, 63. *diſt. c. negligere* 54. 3. *q.* 1. *c. nuper*, *verſ. in prima*, *c. quante*, *de ſent. excom.* Facit Quintilianus *declamat.* 255. ibi: *Hoc natura ſimile eſt, facere ſcelus, & probare.* Illuſtrant hoc axioma Barboſa *in axiomate*, *verbo Agentes*. Sed contrarium, imo graviorem pœnam conſentientibus, quam facientibus eſſe irrogandam, probari videtur *in c. tanta* 24. 86. *diſt. c. qui alia* 32. 2. *q.* 3. *c. qui conſenſit* 100. 11. *q.* 3. imo aliquando leviorem imponi, ſuadetur *ex c. ſicut* 6. §. *illi etiam*, *de homicidio*, *l.* 2. *ff. ad legem Pompejam*. Quæ jura ut componant Bochic. Hoſtienſis, & Vivianus *in præſenti*, Farinacius *in praxi*, 4. *p. q.* 129. *n.* 32. Sahagun. *in hoc textu*, *n.* 4. Nathen. *in juſt. vulner. pag.* 83. varia adducunt. Sed illis omiſſis, admiſſa ſententia Gloſſæ hic, quam omnes veſpertini Anteceſſores noſtræ Academiæ ſequuntur, quatuor diſtinguendi ſunt modi conſentiendi delictis. Primus eſt qui ex negligentia provenit; cum enim quis poſſit crimen vitare, & excludere, idque facere omiſit, mitius punitur, quam peccati reus, & auctor, *c. quidquid* 101. 1. *q.* 1. licet enim ex vinculo charitatis teneamur non ſolum damnum non inferre, ſed ab alio inferendum vitare, *c. dilecta* 6. *verſ. Et quidem*, *de ſent. excom. l.* 6. *d. c. negligere*, *d. c. error*, *d. c. facientes*; & ſic non minus peccet, qui reatum admiſit, quam qui non vitavit, *c. paſce*, 86. *diſt.* dicemus *in c.* 2. *de hæreticis*: unde excommunicationem incurrit, qui cum poſſit impedire manus injectionem in clericos, eam non vitavit, *c. quanto*, *de ſent. excom.* etſi contrarium teneat Marinis *l.* 11. *reſol. c.* 111. tamen ex vinculo juſtitiæ non tenetur quis damnum vitare, *l. metum* 9. §. 1. *verſ. Sed licet*, *ff. de eo quod metus*, *l. in delictis* 5. §. 1. *ff. de noxalibus*, *l. penult.* §. 1. *ff. de donat.* Paulus *lib.* 2. *ſent. tit.* 7. §. 5. Unde in foro exteriori mitius punitur conſentiens, quam reus principalis, niſi perſona, quæ potuit vitare, ſit Magiſtratus, cui ex officio competit delicta populi cohibere, alias pari pœna punitur. Guttier. *lib.* 2. *canonic. c.* 6. *n.* 104. Farinacius *de hæreſi*, *q.* 112. Suarez *de cenſ. diſp.* 6. *ſect.* 2. Genuenſis *practicab. q.* 69. Quo modo accipiendi ſunt textus *in l. ſcientia* 45. *ff. ad leg. Aquil. l.* 3. *l.* 4. §. 1. *ff. de noxalibus*, *l. fundus* 83. *ff. locati*. Nec contrarium probat text. *in c. quidquid* 181. 1. *q.* 1. ubi Prælatus, qui non prohibuit delictum a ſubdito perpetratum, mitiori plectitur pœna. Quia pro ejus textus expoſitione diſcrimen conſtituendum eſt inter ſuperiorem ſcientem ſubditum perpetrare delictum, illudque non prohibentem; & inter judicem delictum eſſe commiſſum ſcientem, & illud non vindicantem. Primo caſu pari pœna plectitur, ex ſupra traditis; ſecundo vero mitiori, *c. fin.* 18. *diſt.* quo caſu procedit textus *in d. c. quidquid* 101.

8 Proſequuntur alii caſus. Secundus caſus eſt, cum delicto perpetrando non ſolum quis annuit, verum & illud conſulit. Circa quem ſciendum eſt, quod aut quis conſulit delictum illi, qui alias perpetraturus illud non erat; aut illi, qui abſque tali conſilio erat perpetraturus. Primo caſu æquali pena ac delinquens tenetur, quia cooperari & opem ferre videtur, *l. qui a ſervo* 36. *l. in furti* 56. §. *conſilium* 3. *ff. de furtis*, *l. non ſolum*, §. *Atticinus*, *ff. de injuriis*, *l.* 1. §. *incidit* 13. *ff. ad Turpil. c. ſignificaſti*, *c. ſicut*, §. *clericus*, *de homicidio*. Secundo vero caſu non æquali, ſed mitiori pena eſt plectendus, *d. c. felicis*, *verſ. illud*, *de pœnis in* 6. §. *interdum* 11. *Inſtit. de oblig. quæ ex delict.* Quam diſtinctionem ſequuntur, & amplectuntur Pichardus, Binius, & alii inſtitutarii *d.* §. *interdum*, Covar. *in Cl. ſi furioſus* 2. *p.* §. 2. *n.* 1. P. Faber *in l. conſilii* 47. *ff. de regul. juris*, Plaza *de delictis*, *l.* 1. *c.* 17. Gibalinus *de irreg. c.* 43. *& de cenſ. diſquiſit.* 3. *q.* Nec huic juris principio adverſatur textus *in l.* 1. §. *ſed utrum*, *ff. de ſervo corrupto*, ubi indiſtincte conſulens tenetur. Nam reſpondendum eſt, in eo textu nullam diſtinctionem adhiberi inter conſulentem ſervo fugam, alias fugiente; & inter conſulentem non fugitivo, quia neutro caſu æquali pena imponitur ſervo fugienti, ac illum corrumpenti; ſiquidem pœna ſervi eſt corporalis, *l. ſi fugitivus*, *C. de ſervis fugitivis*; conſulens vero fugam in duplum tenetur, *l.* 1. *in princ. ff. de ſervo corrupto*. Ut tamen homines magis terreantur a ſervorum corruptione, æqualiter punitur corrumpens ſervum alias fugitivum, ac conſulens fugam non fugienti. Tertius caſus conſentiendi delicto contingit, cum non ſolum quis conſentit delicto, verum auxilium, opemque fert: quo caſu æquali pena ordinaria coercetur, *l. vulgaris* 21. §. *ſi duo*, *ff. de furtis*, *l. item* 11. §. 1. & *ſi plures* 4. *leg. ita* 51. §. *ult. ff. ad legem Aquil. leg. verum* 6. *cum ſeq. ff. ad leg. Pomp. de parric. leg. raptores* 43. *ff. ad l. Corn. de ſicar. l. penult. ff. ad l. Jul. repet.* Ad quem caſum referendi ſunt textus noſter, & lex finalis, *Cod. de maleficiis*, & alii, in quibus docetur, agentes & conſentientes pari pena eſſe puniendos. Docent Farinacius *ubi ſup. q.* 130. Menochius *lib.* 1. *de arbitr. caſu* 344. Quartus modus conſentiendi delicto contingit cum poſt illud commiſſum quis auctoritatem interpoſuit, illud approbando, & defendendo. Quo caſu procedunt textus *in c. aliorum* 24. *q.* 2. *c. qui conſentit* 11. *q.* 3. Docent Menochius, & Farinacius *ubi ſup.*

9 h *Cauſa.*) Quare cauſa, quæ ad cognitionem Epiſcopi proprio jure ſpectat, illi aliquando committatur, & delegetur, diſputant in præſenti omnes fere claſſici. Nos tamen eam juris quæſtionem variis diſtinctionibus abſolutam dabimus *in c. licet*, *de officio Ordinarii*.

i *Diſtrictione eccleſiaſtica.*) Id eſt excommunicatione, ſuſpenſione, & ſimilibus cenſuris, ut ſtatim dicemus.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur ſequens aſſertio: *Judices delegati virtute ſuæ juriſdictionis poſſunt coercere non ſolum reos contumaces, verum & quoslibet alios ſuæ juriſdictionis uſum impedientes.* Probant eam textus *in c. de cauſis* 4. §. 1. *c. præterea* 5. *c. ſignificaſti* 7. *c. ſane* 11. *c. paſtoralis* 28. *c. ex litteris* 29. *hoc tit. c. cum cauſa* 9. *de in integrum reſtit. c. tam ex litteris* 33. *cap. conſtitutis* 45. *de teſtibus*, *c. paſtoralis*, §. 1. *de officio Ordinarii*, *c. conquerente* 7. *de reſtit. ſpol. c. litteras* 14. *de præſcript. c. de prudentia*, *de donat. inter c. pro illorum* 22. *de præb. c. ut officium* 12. §. *compeſcendi*, *de hæreticis lib.* 6. Trident. *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 5. Conſonant lex 70. *tit.* 8. *partit.* 3. lex 17. *tit.* 4. *ead. partit.* lex *ſancimus* 15. *Cod. de judiciis*. Illuſtrant ultra ordinarios in præſenti, & relatos a Barboſa *hic*, *num.* 2. Riminaldus, & Sahagun. *in d. c.* 1. Tiberius Decianus 4. *p. praxis*, *cap.* 25. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 21. *n.* 82. Petrus Gregor. *l.* 6. *partit. tit.* 5. *c.* 7. Covar. *in c. alma*, 1. *par.* §. 11. *n.* 1. & 2. Morla *in emperio*, *tit.* 2. *quæſt.* 21. Angujanus *de legibus lib.* 3. *c.* 33. *num.* 25. Caniſſius *in d. c. præterea*, late Acunna *in c. ſi quis* 2. 94. *diſt.* Binius *de juriſdict. c. ult.* Fragoſo *de regim. t.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 11. *n.* 1. 10 Concluſio refertur, & probatur.

11 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequentibus difficultatibus. Prima naſcitur ex eo, nam ſi delegatus poſſet reos contumaces pœnis coercere, ut in dictis juribus docetur, poſſet illis multam dicere, *l. unica*, *ff. ſi quis jus dicenti*: ſed delegatus non poteſt illis multam dicere, ut probat Barboſa *in l.* 2. §. *ult. n.* 85. *ff. de judiciis*: ergo delegatus non poteſt reos contumaces coercere. Secunda difficultas naſcitur ex natura juriſdictionis delegatæ; notum enim eſt, juriſdictionem delegatam eſſe odioſam, cum per eam juriſdictio ordinaria reſtringatur, *c. ad hæc* 10. *de reſcriptis*, *l. litigatores* 11. *ff. depoſiti*: quare non eſt amplianda, aut extendenda ultra cauſas in ipſa nominatim comprehenſas, *c. cum dilecta* 22. *de reſcriptis*, *c. cum olim* 32. *hoc tit.* nec ad alias perſonas præter deſignatas in ipſo reſcripto, *c. paſtoralis* 14. §. *quoniam*, *c. Rodulphus* 35. *c. ſignificaſti* 36. *de reſcript. c. cauſam*, *c. P. & G. hoc tit.* Sed cauſa contumaciæ, & perſonæ impedientis juriſdictionem delegatam, non fuit comprehenſa in ipſa delegatione: ergo delegatus non poteſt protrahere juriſdictionem ſuam ad alias cauſas, vel perſonas. Tertia etiam naſcitur ex eo; nam fruſtra precibus impetratur, quod jure communi conceditur, *l. unico*, *Cod. de theſauris*, *lib.* 10. & ſuperfluo exprimitur in aliquo inſtrumento, quod ex natura rei venit, argumento textus *in c. ſi is* 30. *de privileg. l. ſi quando* 109. *de legat.* 1. ſed in reſcriptis plerumque conceditur juriſdictio delegata cum ea clauſula: *Contradictores cenſura eccleſiaſtica compeſcentes*, *d. c. pro illorum*, *dict. c. ut officium*, §. *compeſcendi*, Barboſa *de clauſulis*, *clauſula* 33. igitur quia talis facultas compeſcendi impedientes, & contradictores, ex natura juriſdictionis delegatæ non veniebat. Tandem quarta difficultas non levis ex eo provenit; nam certum eſt, neminem in cauſa propria judicem eſſe poſſe, vulgaribus juribus *in l. unica*, *C. ne quis in ſua*, *l. qui juriſdictionem*, *ff. de juriſd. l. Julianus*, *ff. de judiciis*, *c. dilectus* 11. *de pœnis*, *c. nulla* 4. *q.* 4. *c. viduam* 2. *q.* 6. Gothofredus *in l. unica*, *C. Theodoſ. ne in ſua cauſa*. Unde judices eccleſiaſtici pro injuria ſibi illata excommunicationis ſententiam proferre non poſſunt, *c. inter querelas* 25. 23. *q.* 4. Petrus Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 8. *c.* 8. ergo judices delegati impedientes ſuam juriſdictionem coercere non poſſunt, ne in propria cauſa jus ſibi dicant.

12 De officio & poteſtate delegati. His juris conſiderationibus minime obſtantibus, ſciendum eſt, in præſenti titulo agi non ſolum de officio, verum & de poteſtate judicis delegati, quæ diverſa ſunt; nam aliqua ſpectant ad judicem delegatum ratione poteſtatis; alia, quæ ratione officii facere tenetur; non enim ſynonyma ſunt officium, & poteſtas in præſenti rubrica, ut exiſtimarunt Decius, & Abbas *in ea*; ſed diverſa ſignificant, ut animadvertit Germonius *in præſenti rubrica*, officium enim refertur ad ea, quæ delegatus ut delegatus facere debet; poteſtas vero ad ea, quæ facere poteſt virtute juriſdictionis; & hæc eſt propria acceptio verborum officii, & poteſtatis in hac rubrica. Et licet juxta rubricæ ſeriem potius Compilatores Decretalium, quæ ſpectant ad officium Delegati, mox quæ ratione poteſtatis ipſi exequi poſſunt, compilare deberent; tamen permixtim, & turbato ordine, quæ ſunt officii, & poteſtatis recenſet. Ad ſecundam partem, videlicet ad ea, quæ poſſunt exequi a delegatis, ſpectat hæc prima deciſio, in qua ſtatuitus, judices delegatos poſſe non ſolum coercere reos contuma-

BIBLIOTECA CENTRAL